




EX LIBRIS  
ILLVSTRISSIMI VIRI,  
DN. DAN. LVDOLPHI,  
LIB. BAR. de DANCKELMANN,  
S. REG. MAI. BORVSS. CONSILIARII  
STATVS INTIMI, cetera,  
BIBLIOTHECÆ ACAD. FRIDERICIANÆ  
TESTAMENTO RELICTIS.

C. 97.  
Lbd. Zt.  
H. 6. 94.









I. N. J.

DISPUTATIONUM EXEGETICARUM  
SUPER  
**MATTHÆUM**  
CAP. X.  
**XLIV.**

*Quam*  
RECTORE MAGNIFICENTISSIMO,  
*SERENISSIMO atq; EXCELSISSIMO PRINCIPE AC DOMINO,*  
**DOMINO FRIDERICO**

**WILHELMO,**

REGNI PRUSSIÆ, ELECTORATUS ET PROVIN-  
CIAR. BRANDENBURG. HÆREDE &c. &c. &c.

IN ACADEMIA AD PREGLAM REGIA

*CONSENSU VENERANDÆ FACULTATIS THEOLOGICÆ*  
PRÆSIDE

**GODOFREDO WEGNERO,**

S.S. Theol. D. & Profess. Ordinar. Ecclesiast.  
Aulico Secund.

PATRONO AC PRÆCEPTORE SUO MAXIME COLENDÖ

Eruditorum censuræ submittit

**JACOBUS Jordahn/**

S.S. Theol. Studios. Liebst. Pruss.

Anno 1706. d. Junii,  
H. Lq; Solitis.

---

REGIOMONTI, Typis REUSNERIANIS.

---

*ILLUSTRISSIMO AC EXCELLENTIS-  
SIMO DOMINO*

**DNO. DANIELI**

**LUDOVICO**

**LIBERO BARONI**

**de DANCKELMANN,**

Sacr. Regiae Majest. in Prusia Intimo  
Status Ministro ac Consiliario, Generali  
rerum bellicarum Commissario & Venerabilis Con-  
sistorii Berolinensis Praesidenti &c. &c.

Hæreditario Domino in Oberzimmerbud/ ic. ic.

**DOMINO SUO GRATIOSISSIMO**

Leves ac tenues hasce pagellas Theologi-  
cas in studiorum siorum commendatio-  
nem ac promotionem

*humillimè ac submisse consecrat*

JACOBUS Jordahn/ Resp.  
Liebst. Pruss.



## CAP. X. MATTHÆI.

*J. Apostolorum v.*

**Q**uius per typos ille numerus in V. T. multipliciter designatus fuit *Resp.*  
 & quidem *a.* per 12. *Patriarchas*, filios Jacobi, qui omnium iudeorum JACOB JOR-  
 orum parentes sunt, uti omnium Christianorum Apostoli. Voluit DAHN,  
 igitur hoc numero denotare instaurationem Ecclesiae, cuius typus e- Liepst. Pr.  
 rant 12. tribus Israël Matth. XIX. 28. *β.* Tertullianus, & alii figura-  
 tum esse hunc numerum, per 12. fontes in Elim; per 12. gemmas in  
 Ephod Aaronis; per 12. lapides de Jordane sublatos; per 12. boves  
 mare æneum sustentantes; per 12. Prophetas V. T.; per 12. stellas in  
 corona sponsæ; per 12. fundamenta civitatis; per 12. portas ejusdem  
 &c. quæ à Lyra ad 12. Apostolorum bellè applicantur. Obj. *Atqui* &  
*Paulus vocatur Apostolus, & Epaphroditus Apostolus Philippiensem,*  
*& Andronicus ac Junias Rom. XVI. 7. insignes inter Apostolos.*  
*Resp.* Sermo h. I. est de Apostolis, quos Christus ipse ante passionem  
 elegit, *ut perpetuò secum essent*, Marc. III. 14. & testes *αὐτοῦ πασι* a-  
 ctionum omnium, & auditores concionum ejus forent, emittendi in  
 orbem universum. Atque hic *sunt* est electionis, *parim*, ut ali-  
 quamdiu sedentes ad pedes ejus, doctrinam evangelii ab ore ejus  
 imbiberent; *parim*, ut testes essent operum ejus oculati; *par-*  
*tim*, ut Prophetæ ejus forent ad prædicandum, & miracula  
 edenda.

I. *Dedit illis potestatem Spirituum*) Not. (1) *Grecismus*, quō Ge-  
 nitiivus objecti ponitur, pro, *εἰς τὰ πνεύματα ἀνάθαγτα*: non enim  
 subjectivè intelligendum, ac si illis deditisset ejusmodi potestatem,  
 quam habent Spiritus immundi, sed *objectivè*, in spiritus immun-  
 dos, uti Lucas IX. 1. explicat: *ὅτι πάντα δαιμόνια*, Lucas c. IX. 1  
*Ἐξστιαὶ* & *δύναμιν* conjunxit, quæ quomodo differant, ostendit  
*Er. Schmid. ad Matth c. XXVIII. 18.* (2) *Ratio appellationis*, cur  
*immundi dicantur?* non certè, quia ita creati; sed *a. affectivè*, quia  
 impuritate delectantur. *β. effectivè*, quia tum homines ipsos, tum  
 eorum actiones inquinant. *γ. oppositivè*, ut clariore antithesi oppo-  
 nantur *Spiritu Sancto*. Singularius *περιστατὴν* Zach. XIII: 2. &  
*πνεύματα ἀνάθαγτα* Apoc. XVI. 13. seq. sunt spiritus diabolici in  
 Pseudoprophetis decipientes pythones, juxta Lightfootum h. I. qui etiam  
 nomenclaturam adhuc singulariorem è Talmudicis affert p. 323.  
 seq. (3.) *qualitas Ἐξστιας*, non enim est *αὐτοκαταρριψη*, sed *ἀλ-*  
*κονική*,

CAP. X. MATTHÆI.

*xovix̄*, non virtus inhærens, sed per adſiſtentiam temporalem. Unde patet 1. *diverſitas potestatis* miracula faciendi, quæ Christo homini competit per *communicationem personalem*, Apostolis per *communicationem gratisam*, cui ipſe virtute ſua adſiſteret. 2. *Deitas Christi*, cum illa communicata Homini potestas, ſit Dei ipſius potentia. Quare h. I. Grotius ſcribit: *Hic Christi divina viſ maniſtius, quām unquam ante, eluet: fecerant mira etiam Prophetæ, ſed mira faciendi potestatem nemini ſuopte arbitrio confeſſerant: ne Moſes quidem Iuſua, nec Elias Elifeo, ſic impletus Psalmuſ XCII. 12.*

I. *Uli ejicerent eos, & ſanarent &c.* Not. (1) Ellipsis artic: *τὸς* ante *θεοπατέρων*, repetendum enim *τὸν ξοὺς* dedit eis *potestatēm*, ſcil. *& ſanandi.* (2) *Triplex objectum* potestatis communicatæ, ejiciendi dæmonia, ſanandi morbos, curandi langvores. *Ejectionis exempla* leguntur Lue. X. 17. Act. XVI. 18. etiā in ſuccelloribus obſervata, vid. Sozomen. I. 4. 16. Ceffaffe illud donum jam ante O-ri-ge-nem inde colligitur, quod in c. 17. Matth. ſcribit: *Si quando nos oportet obſeffis opiculari, non loquamur cum Spiritu, vel adjurando, vel imperando, quaſi nos audiat; ſed tantum precibus & jejuniis in-cumbendo perseveremus.* Nōt. & *μαλακία* ita diſſerunt, quod *νότος* notat malignas affectiones ex intemperie humorum & pri-marum qualitatum in corpore obortas, ut ſunt febris, paralysis, hydrops, lepra, profluviū ſangvinis; *μαλακία* omnes defectus naturam deformantes vel deſtruentes, ut ſunt cæcitas, ſurditas, mutitas, claudicatio, dæmoniaca, lunatica, mors ipſa. (3) *Nu-merus Demoniorum*, cui parem nulla exhibet historia, adeò ut V. T. vix unum & alterum proferat exemplum. Cauſam rei dupli-cem affert Lightfootus: α. quod populus Judaicus ad ſumnum im-pietatis apicem jam pertingens, ad ſumnum etiam male-dictionum iſtarum apicem jam pertigerit, quæ recitantur Lev. 26. & Deut. 28. β. quod gens, præter modum, artibus magicis dedita, etiam dæ-monam ambierit, invitaveritque, ut inhabitaret.

II. *Duodecim autem Apoſtolorum nomina*) Notetur (1) *Nomen Apoſtoli*, de cuius derivatione & ſignificatione non conſenſiunt erudi-ti. Nam quod *etymologiam* attinet, Bened. Aretius deducit *ἀσόλη-* clafis, cuius praefectus eſt *ἀσόλητος*, qui etiam alijs fuit magi-ſtratus,

CAP. X. MATTHÆI.

stratus, ipso teste, qui vid. in Rom. I. 1. II. Cor. I. 1. Alias in genere δοντέλλειν εἰτι μίττειν, interdum peculiariter μίττειν aliquem cum manda-  
tis, μίττειν legatum. Unde significatio ista generalis hic est optima,  
quia discipuli tanquam ligati, in totum orbem missi, idēc Apostoli  
diāi sunt. Lightfotus in Hor. h. l. non nudè nuntium sonare ait,  
sed nuntium vices gerentem mittentis, idque confirmat effato rabbi-  
nico, Apostolus cuiusvis est sicut ipse, à quō deputatur, & v. 40.  
hujus capititis. Grotius à Judæis itidem arcessit, dicens, propriè in-  
libris Talmudicis vocari πτωχοί, qui decimas & alia ad Levitas defere-  
bant, οἱ τὰς Συρίας ἀνάγοντες, Patriarcharum assessores, summam  
exactam reportantes ad mittentem: ad quod exemplum, primis Chri-  
stianis dictos esse, qui ab ecclesiis mittiebantur ad perferenda ulro  
citroque Ecclesiarum munera, Ignatio Θεόδοσιον & Θεοφίλου.  
Attamen, non à Judæis, sed Græcis potius usum vocis mutuatum  
esse videtur, quia Apostolorum aetate nulli libri Talmudici extite-  
runt. Nam & à LXX. I. Reg. XIV. 6. adhibetur de Abiā, à Domi-  
no cum certo mandatō missio, pro voce πτωχού, & sacris scriptori-  
bus N. T. eodem significatu frequens est. Lato igitur sensu no-  
men acceptum, pro legato Domini, tum ipsi Christo ἐξοχμῷ Hebr.  
III. 1. & apud Justinum Mart.; tum 12. Apostolia peculiariter, ac  
Paulo, tanquam orbis totius doctoribus, privilegio infallibilitatis  
ornatis; tum aliis quoque, Epaphrodito, Philip. II. 25. sed cum  
addito (vester Apostolus) tribuitur. Videtur hinc & fundatoribus  
Ecclesiarum, Barnabe, Sile, Jude, quorum mentio fit Act. XV. E-  
paphroditī, Andronici & Junie Rom. XVI. 7. exemplo, competere,  
licet dispari gradu: quamvis planè hoc neget Calovius contra Gro-  
tium h. l. (2) Varia lectio, quidam enim Codices latini habent mi-  
nus rectè discipulorum, ut & Biblia, Wecheliana Junii, contra  
Græcorum Codicum & Orientalium Interpretum consensum.

2. Primus, Simon qui vocatur Petrus) Not. (1.) ἀνάρτηπόδε-  
τον, quia non sequitur δέλτες, τέττες &c. unde primus hic in-  
tellegitur, quia primo erat vocatus cum fratre Andréa, Matth. IV.  
18. non quod cæteris superior esset, aut potestatem in eos haberet.  
Male igitur Grotius h. l. Princeps haud dubiè collegii à Crlsto de-  
signatus, ad retinendam corporis compagem. Nec offendat quemquam

CAP. X. MATTHÆI.

quod Gal. II. 9. Cephas medius inter Jacobum & Joannem legitur, in MS. antiquissimo abest ibi id nomen. Graci posteriores apposuere. Dupliciter etrans, dum 1. Pontificis in primatu Petri patrocinatur 2. nomen Cephas irreptitium proclamans. At, nomen hoc c. l. magno consensu omnes editiones habent, & ad textum pertinere, cum antecedentia v. 7. 8. tum consequentia v. 11. seqq. docent, ~~argunt~~ v. h. l. non principatum dignitatis, aut jurisdictionis, quæ ad retinendum corporis compagem facit, sed principatum ordinis designat. Hoc enim erant usitata (inquit Cyprianus, laudatus in Jure Canon. c. loquitur caus. 24. q. 1.) & ceteri Apostoli, quod fuit & Petrus, pari confortio prædixi, & honoris & potestatis. Chrysostomus & Theophylactus temporis rationem observatam esse, ajunt, Jacobus Gal. II. 9. Petro præponitur: Maria, mater Domini Act. L. 14. loco postremo nominatur, quæ tamen ~~argunt~~ non postrema fuit. Vid. de primatu Petri systemata, & h. l. interpretes, Gerhardus, Calovius, alii. (2.) Nomen Simon, Talmudicis quoque usitatum, pro Simeon, quo nomine appellatur Act. XV. 14. & scipsum scribit II. Pet. I. 1. Unde errarunt inter veteres, qui Act. XV. 14. Simeonem, cuius Canticum Luc. II. 28. describitur, intelligunt. V. Caſabonus in not. ad illum locum. (3.) Cognomen Petrus, Syriace ~~petrus~~, petra, lapus. Tribus enim interioris sua familiaritatis discipulis, Jacobo, Johanni, & Simoni immutavit nomina, quorum hic à petrā appellatus est, Joh. I. 42. cuius ratio redditur infra c. XVI. 18. confessio scil. de Christo à Petro edita, (4.) Jacobus, nempe major, Frater Johannis, & ~~et~~ Zebedæi, scil. voc. Beza & Dieu h. l. notant, Vulgatum Philippum & Bartholomeum Jacobo & Johanni præmittere; sed Gerhardus in nullâ editione hoc se reperisse, testatur.

III. Philippus & Bartholomeus) Nomen *Philippus* græcum est, unde patet, quod judæi, gentibus mixti, etiam gentium nomina suis liberis imposuerint. Qv. An Bartholomæus idem si qui Nathanaël? Resp. Lightfootus ad h. l. Computa ordinem, quo vocati sunt discipuli Joann. I. cum ordine, quō ut plurimum recensentur, & Bartholomæum in eundem locum cum Nathanièle coincidentem comperies; ita ut eundem cum eo esse opineris: Nathanièle nomine proprio dictum,

CAP. X. MATTHÆI.

**B**artholomæum paterno γρατιλίῳ id est, Filium Talmai. Nam Greci interpres Talmai reddunt, θολμῖ, Il. Sam. XIII. 37. atq; occurrit θολομᾶς apud Josephum Antig. lib. 20. c. 1. Quam observationem etiam Calovius sine animadversione h. l. inseruit.

3. Et Matthæus Publicanus) Supra c. IX. 9. Matthæus suam vocationem describens, diserte fatetur, quod federit ad telonium. Cæteri Evangelistæ Marc. II. 14. Luc. V. 27. publicanum fuisse, haud negant, sed Matthæi nomen facient, eumque Levi vocant. Hic ingenuè tursum pristini status mentionem facit, quando se publicanum appellat, ἐ τελώνης, non quod esset, sed olim fuisset talis. Conf. Hieronymus ad h. l. qui regulam hanc in c. 26. Matth. tradit: *Ali quando in Scripturâ mutata re pristinum nomen manet.* Quam Glassius variis exemplis confirmat in Gram. S. p. 8. & 9. Eodem modo Paulus de se scribit Actor. XXII. 4. c. XXVI. 10. 11. I. Cor. XV. 9. Gal. I. 12. Phil. III. 6. l. Tim. I. 13.

3 Jacobus Alphæi, & Lebbæus) Not. (1.) Ellipsis, nam Alphæi dicitur h. l. filius, adeoq; subintelligitur ὁ, ad differentiam Jacobi v. 2. qui dicitur ὁ τέσβεδᾶς, scil. ὁ. Intercedit inter hos & alia differentia, quod hic Zebedæi filius, frater Johannis, dicitur Jacobus major; Alphæi autem filius, Jacobus minor Marc. XV. 40. (2.) Lettio Vulg. omittit enim, Λεββαῖος ὁ Ἐπικληθέτης, contra fidem Græcorum Codicum, excepto Cantuarenſi. (3.) Nomen triplex Lebbæi, qui frater fuit germanus Simoni Cananitæ v. 4. nam, hic vocatur Lebbæus, & cognominatur Thaddæus, aliæ etiam dictus Judas, Jacobi(minoris) frater Act. I. 13. nempe uterius. Discernitur Διδοκετινᾶς à Juda Iſcariotâ Joh. XIV. 22.

Qv. I. An tria hec distincta nomina, eaq; propria fuerint? Dissentunt interpres. Nam (1.) Grotio Thaddæus & Judas idem est nomen. Gerhardo videtur hic metathesis statuenda, ita ut Thaddæi Syrum, quod idem sit cum Ebr. Juda, nomen genuinum; Lebbæus vero Cognomen ob sapientiam ipsi inditum statuatur. Tremellius & Junius: Thaddæus Syrum nomen est, Hebreum Judus. Calovio sunt distincta nomina, cum quod ita communiter habeantur pro distinctis; tum quod Thaddæus cognomen fuerit, nomen Judæ autem non cognomen, sed proprium censendum sit, quo commu-

CAP. X. MATTHÆI.

niter & absolute designetur. Sed obstat  $\alpha$ . quod utrumque ejusdem etymi & significationis, confessorem notet.  $\beta$ . quod τὸ θαδδαῖον de nomine maxime proprio usurpetur, notante Grotio ex Apiano & Actor. 13. 12. & 25. Resp. ad  $\alpha$ . quod nomina unius etymi & significationis distincta esse possint. Lud. Dieu *Thaddæus* in lingvâ syra notat *herbam vernam*. Buxtorffius in Lex. Chald. p. 617 non à την confessione, sed à chald. την *mammilla* derivat. Ad  $\beta$ . quod nōmina propria etiam cognomina esse possint, qualia inter germanos sat frequentia sunt. (2.) *Lebbeum* dictum esse arbitratur Lightfotus ab oppido *Lebba*, Galilæa maritimo. Dieu & alii à *cor*, interpretantur *cordulum*, quod à Christo int̄imius diligenteretur, aut quod *cordatus*, vel *sapiens* esset. Grotius ad c. 3. Marc. ex lib. 1. Orig. ad Celsum notat, pro *Thaddæo* ibi quædam exemplaria habere *Lebbeum*, pro quō alios scripsisse λεβᾶν, quomodo & Theodoreetus legisse videatur qv. 16. ad. Num. citans. Θαδδαῖος ὁ νομος λεβᾶς. Ut dicam, quod sentiam, existimo, proprium nomen in circumcisione acceptum, fuisse huic Apostolo *Judas*, quo appellatur sòlo à Luca c. 6. 14. & à seipso, in ep. v. 1. cætera cognomina esse, proprio forte usitatoria, ut in Germanicis quibusdam memini, adeoque ut propria adhibita à *Matthæo*, aliunde indita.

Qv. II. *Utrum Alpheus & Cleophas unus idemq; an distincti sint homines?* Duo *Alphæi* in historia Evang. memorantur, alter *Matthæus* seu *Levis* pater, Marc. 2. 14. alter *Jacobi* h. l. pater, Marc. 3. 18. Luc. 6. 14. Actor. 1. 13. Hic autem an à *Cleopha* distinctus sit, curatiùs inquirendum. Nam (1) Lightfotus ad h. l. ita scribit: *Apud Talmudicos etiam occurrit nomen Ἀλφός: flexible in duplice pronunciationem, nempe ut vel Alphæi sicut, vel Cleopha.* Hinc *Alpheus* iste, quatuor *Apostolorum* pater, vocatur etiam *Cleopas* Luc 24. quod ex hoc satis liquet, quod ea, que vocatur *Maria*, mater *Jacobi minoris & Iosæ*, Marc. 15. 40. à *Joanne* vocatur *Maria*, uxor *Cleopæ*, Joan. 19. 25. Similiter nosfer Gerhardus ad Matth. 13. 55. Genuit *Cleophas*, frater *Josephi*, qui etiam *Alpheus* dicitur, quatuor filios, *Jacobum Minorem*, *Iosin*, *Judam Thaddæum*, ac *Simoneum*. Præterea duas sorores, *Salomen*, uxorem *Zebedæi*, & *Mariam*, quarum hæ sorores Christi, illi fratres dicuntur. (Atqui hæc Maria pro uxore Cleo-

CAP. X. MATTHÆI.

Cleophae habetur?) Præivisse videtur Hieronymus cont. Helvid.  
 Refat, inquit, conclusio, ut Maria ista, qua Jacobi minoris diciunt  
 mater, fuerit uxor Alphai, & soror Mariae matris Domini, quam  
 Mariam Cleophae, Johannes Evangelista nominat. Addit Cappellus  
 ad hæc verba in Spicileg. Marc. 6. 3. Utrum uxor, an filia, non  
 dicit. Ego eximaverim potius uxorem, quam filiam; sic enim  
 solent fæmine à marito potius, quam à Patre denominari, nego mi-  
 rum videri debet, ut Cleophas & Alpheus unum idemque sit viri no-  
 men, sed aliter agi, alter pronunciatum, Bertramus ad Matth. 10.  
 3. & 12. 46. Alpheum & Cleopham pro uno Mariae marito habet,  
 eique filios quatuor assignat, Hieronymum secutus, vid. ib. genea-  
 logiam p. 374. Contra (2) distingvunt alii Cleopham & Alpheum,  
 tanquam diversos ac distinctos viros; sed & hi non consenti-  
 unt. Nam a. Calovius in c. 27. & Erasmus Schnidius in c. 10.  
 Uni Mariæ, sorori matris Domini, duos maritos distinctos *Alpheum*  
 & *Cleopham* tribuunt, quod *Alpheo*, patre Jacobi h. l. defuncto,  
 nupserit *Cleopha* fratri (ut Hegesippus vult) Josephi, atque ex eo  
*Simonem*, secundum post Jacobum Hieros. Episcopum, suscepit, te-  
 ste Eusebio lib. 3. cap. 11. β. Grotius ad Matth. 27. 55. notat ad  
 verba, Maria Iacobī & Josis mater, *Cleopha* *Johanni*. Et addit: in-  
 ter multas sententias expeditissima est, quæ Cleopam ejus patrem,  
 Alphæum maritum statuit. γ. Tremellius & Junias ad h. l. Judæ  
 seu Thaddæi patrem faciunt Jacobum, ex Luc. 6. & Act. 1. fratrem  
 Alphæi; & consentit in priore loco B. Lutherus: Judam, *Jacobs*  
*Cohn*, δ. Joh. Gerh. Vossius dum l. 3. Harm. Evang. c. 3. Ma-  
 riam, Iacobī & Josis matrem, facit ipsam Θεοτόκον, novercam  
 filiorum Josephi despontati, hunc iidem distingvit à Cleopha, Jo-  
 sephi fratre, patre Simonis & Thaddæi. Res intricata est, ex eli-  
 psi orta, omittitur enim nomen Joh. 19. 25. ut ignoretur, uxor  
 an filia, & Luc. 6. 16. Act. 1. 13. ut ignoretur, an filius, aut fra-  
 ter subintelligatur. Hinc variant sententiæ. Mihi placet discrimen  
 inter *Alpheum* & *Cleopham*, quia 1. in fonte Græco diversis planè  
 literis ista nomina scribuntur, ad indicandum distinctos homines.  
 2. in catalogo Apostolorum, duo Jacobi, major & minor distin-  
 gyuntur patribus, distinctis scil. à patre Thaddæi & Simonis. 3.

Ma-



CAP. X. MATTHÆI.

Maria denominatur à Cleopà Joh. 19.25. superstite adhuc marito, quæ Matth. 27.55, à filiis prioris mariti Alphæi describitur. Fratres ergo uterini sunt, filii Mariæ, Jacobus minor & Joses ex Alphæo, Simon & Thaddæus ex Cleophâ. Videatur illorum Genealogia apud Erafm. Schmidium ad v. 3. De vita autem horum & sequentium Apostolorum, vid. Hieronymus in Catal. Scriptor. Eccles. ab initio: Dorotheus, Martyr, in Synopsi de vita & morte Proph. & App. Job. Schopffius in Academ. J. Chr. item Interpretes ad h. & alia loca, ubi catalogus Apostolorum exhibetur.

IV. Simon (Canaanita) Not: (1) varia lectio: In plerisque est *nāvārit̄*; alii tamen *nāvārit̄* vel *nāvār̄*, legendum putant, in duobus vetustis invenit Beza *nāvār̄*, quod retinunt Vulg. & Erasmus. Hebreus נָבָרֶת, Syrus نَبَرَة, quod Fabricius & Trostius Zelotem interpretantur. (2) *Origo nominis*, unde? Non pauci cum Chrysostymo à Canâ Galilææ dictum ita putant, unde Lutherus vertit: *Simon von Cana*. At Joh. 21.2. Nathanael à loco denominatur ὁ ἀπὸ Κανᾶ. Deinde duplicatur γ & interponitur vocalis, Denique *Canaaneus*, in Hebr. נָבָרֶת, dicitur à *Canaan*, filio *Chami*. Non igitur displicet, quod Hieronymus à Zelo hoc cognomen derivat, quod vel Dominum ipsum, vel doctrinam ejus prosecutus est. Qvarè Hebraicè à נָבָרֶת, Syriacè نَبَرَة (per p, non per ئ exprimitur) & Græcè Ληλωτ̄ Luc. 6.15. Act. 1.13, cognominatus est. Lightfootus à lecta *Zelotarum*, cui ante conversionem addictus, appellatum esse vult. Vid. de eo Eusebius lib. 3. c. 11. 22. 32.

4. *Judas Iscariota*, qui prodidit illum ) Qvarè. unde cognomen Iscariota acceperit? Multæ & variae sunt sententiae, 1. ab urbe καριώτ, in tribu Juda Joh. 15.25, inde oriundus, ish Cariotes dicetus, & confirmat Beza ex suo Codice, qui in Johanne 5. locis scriptum habet ὁ ἀπὸ Καριώτ, 2. à vico *Iscarioth*, in Ephraim, non longè à Samaria, ut vult Hieronymus. Qui 3. etiam à tribu Ioseph disjunctivè deducit. Alii tamen Græcum fuisse autumant, ex Corfu seu *Corypha*, Græcia Insulâ. 4. à Syr. نَصَارَى merces, & نَصَارَى defecit, declinavit, ut Syri vox h. l. نَصَارَى significet eum, qui mercede inducitur ad defectionem. 5. Junius secarjut marsupium exponit, ut secharjua sit ὁ ἔχων τὸ γλωσσόκομον, quod Joh. 12.6. de Juda dicitur.

6. à

CAP. X. MATTHÆI.

6. à suspendio, per τοξόνηψιν, quod fauces sibi ipsi strinxerit, nam, secur apud Syros strangulare, & mascotē strangulationem notat, observante Junio. Ex his, quæ verior sit sententia, novam adhibet Lightfotus h. l. questionem: *An vivo ei inditum fuerit hoc nomen, an non nisi post mortem?* si vivo, inquit, non incongruè à οὐρανῷ deduxeris, quod & οὐρανὸς scribitur, cinctorum coriaceum, ut Judas Iscariotes, idem sit, quod *Judas cum cinctorio*: nam in istiusmodi cinctoriis consutas habuerunt crumenas. Si post mortem accepit, retur esse deducsum ab οὐρανῷ strangulatio; iscura juxta glossam Schabb. f. 33. 1. incipit in visceribus, & definit in giture, ingeniosæ omnes sunt conjecturæ. Mihī videtur, ad discrimen à Juda Lebbæo, cognomen accepisse à patriâ, præposito iſch, aut fuisse gentilium, Scariot, præfixo iota, uti σπανία & ισπανία scribitur: nam quod ejus factum & eventum attinet, addito, ὁ θεοδίδης, indigitatur, quod quia per anticipationem dictum est, Johannes per ὁ μέλλων ἀντὼν θεοδίδην v. 12. 4. explicat. Conf. Harm. Evang. h. l.

V. In viam gentium ne abieritis) Not (1.) Phrasis, εἰς ὅδὸν ἑθῶν, nam plenè ita habet, εἰς ὅδὸν τοῖς θύνταις. Syrus: in viam profanorum non profici amini, Conf. Jer. 2. 18. (2) Prohibitiō ipsa, quæ specialis & temporaria est, pertinens ad primam legationem Apostolorum, ante resurrectionem à mortuis: nam post resurrectionem dicitur: *Ite in universum mundum.* Volut autem Christus externo suo ministerio inter judæos tantum versari: non quod ullum genus homini aut individuum, absoluto aliquo decreto abominandum duxerit: sed α. ne judæis avulsum daret, se indigne spretos, gentibus prælati. β. ne offensus injuriis Phariseorum, vindictæ gratiâ, ad exteris videretur ablegasse. γ. ut vaticinia implerentur, quibus prædictum erat, Christum luce suâ primū omnium illustratum Galilæam & Judæam. Plura vid. ap. Brentium h. l. Gerhardum h̄c & in LL. de Elect. §. 141. & conf. Erasmum, Pellicanum, Hunnium, de h. l.

5. Et in civitatem Samaritanorum ne ingred.) Not. (1.) πόλις, quod h. l. non sit metropolis, articolus enim non additur; sed civitas indefinite, uti Vulg. civitates vertit, & Lutherus: Und ziehet nicht in der Samaritter Städte. Civitates prohibet, non regi-

M m m

onem

CAP. X. MATTHEI.

onem autem viam: erat enim Samaria regio Galilææ & iudeæ intermedia, adeoq; necessariò iis pertransienda, qui è iudea in Galilæam aut retrosum proficisebantur. (2.) *Cur Samaritani gentibus juncti fuerint:* Quia vicini & permisi gentilibus, gentium mores induerant, & iudaicam religionem gentilibus superstitutionibus contaminaverant, unde iudeis heretici & profani erant, qui etiam insignem probro notaturi, *Samaritanum* vocabant, Joh. 8. 48. Licet autem *Samaritani* se filios Jacobi Patris jactitarent Joh. c. 4. 12. & non prorsus à veritate alienum fuerit; tamen paralleli ethnicis statuuntur, atque æque distantes ab evangelii participatione, quod latius h. l. exponit Lighfotus. Cæterum de *Samaritanis* plura vid. ap. Joseph. l. 9. *Antiqu. c. f. & l. 13. c. 6. l. 19. c. 3.* Baron. ad A.C. 31. Casaubon. *Exercit. 13. Drusium l. 4. præter p. 121. Tarnov. ad 4. Johann, &c.*

VI. *Ad oves perditas domus Israël*) Not. (1.) quod Locutio ista desumpta sit ex Iesai. 53. 6. Jer. 50. 8. Ezech. 34. 5. (2.) quod *domus Israël* h. l. Gnt iudei ex Israele prognati. In specie Chemnitius intelligit de *Juda*, *Benjamin*, & *Levi*, quia haec tres tribus Isracilis, post transmigrationem Babylonicam, in terram benedictam reduxerint, quibus tamen multi etiam ex reliquis tributus se adjunxerant. (3.) quod *Oves* vocentur, quia ipsorum fuit adoptio, testamenta, legislatio, cultus, promissiones, patres, ex quibus erat Christus secundum carnem, Rom. 9. 4. *Perdiisse* autem, quia à falsis suis doctribus & pastoribus pessimè seduci erant. (4.) quod gentibus nulla excusatio relicta sit, quia iudei ipsis prælati: nam odo & successio nihil deroget universali populorum vocationi, quæ mox fecuta est. (5.) quod præceptum hoc Christi temporarium fuerit: quia enim Christus propter veritatem Dei minister circumcisionis fuit Rom. 15. 8. voluit etiam, ut iudeis, tanquam filiis regni, toto ministerii tempore, primò gratia Dei offerretur.

VII. *Appropinquavit regnum celorum*) His verbis summa & caput totius prædicationis insinuat. Neq; etiam putabimus, ipsos duntaxat hasce voces ingeminasse: *Appropinquavit regnum Dei: approp. regnum celorum:* sed potius, quæcumque tum ex Baptista concionibus, tum in Christi schola, de Messia adventu, de abrogatione typorum V. T. de vera poenitentia, de beneficiis Messiae,

de

CAP. X. MATTHÆI.

de vera fide, quā beneficia illa applicantur, de gratuita peccatorum remissione, de æterna vita & salute didicerant, illa fideliter aliis quoque communicarunt, siveque eorum animos ad hunc Jesum, pro vero mundi Messia suscipiendo, præpararunt. D. Chemnitius h. l.

Qv. Utrum Apostoli non ad evangelium predicandum, sed ad discipulos & auditores Christo parandos emissi sint? ita sentiunt Grotius h. l. & Joh. Camero in Myrothec. ad Matth. 16. 20. quod ipse Christus sibi hoc reservarit, à quo auditores accepturi erant, quæ ad salutem ipsis essent necessaria. At Christus iisdem verbis evangelium prædicavit, quæ Apostolis injunxit, idemque indicarunt iisdem, quod scil. optatum tempus & regnum Messiae advenerit, per prophetas ab exordio mundi promissum.

VIII. *Infirmos sanate &c.*) Fuit hoc nontam nudum præceptum, quam efficax traditio facultatis edendi hæc miracula. Ut enim Deus olim Molen, sic Christus Apostolos, signis & miraculis instruxit, ut judæi verbo crederent. Efficacia autem horum signorum cum Apostolis non desit, sed in ministerio Ecclesiastico adhuc hodiè durat. Nam spiritualiter infirmos sanat, spiritualem lepram, peccatum scil. virtute verbi & sacramentorum, abstergit, in peccatis mortuos per poenitentiam reviviscere facit, diabolos pellit, excusso Satanæ jugo à fidelibus, qui in Spiritu libertate Christo serviunt.

Qv. *An verba, vñq̄s ἐγέρεται, defint, & merito omitti possint?*  
Resp. quod prius: quod in Codd. quibusdam Latinis deficient ista verba, nam & Hieronymus non agnoscit. Lovanienses ex MS. G. inseruerunt. Inveniuntur etiam transposita in Vulgata, notante Dieu. Quoad posteriorius: Fr. Lucas ait in notis ad var. lect. addita illa verba nullâ similitudine veri. Et Grotius h. l. scribit, non agnosci à Græcis hunc locum exponentibus: nullus enim mortuus, inquit, ab Apostolis vita redditus legitur, arte Christi resurrectionem. Ft. Lucas quoque addit: Talem potestatem Apostolis datam v. 1. non exprimi, & Christum ipsum parcè illâ usum fuisse. At (1.) licet in editis & MSS. Codd. nonnullis verba ista desiderantur, in aliis tamen vetustissimis Græcis reperiuntur, & quidem plerisque, annuentibus editionibus Syriacis, Arabicis, Æthiopicis, etiam Romanensibus: non ergo addita dici possunt. (2) A negatione vel præter-

CAP. X. MATTHÆI.

missa commemoratione actus secundi, ad negationem actus primi N. V. C. Apostoli nec leguntur leprosos sanasse. (3.) Licet initio capituli non distinctè exprimantur dona, postea tamen indicantur, quod sufficit. (4.) Christus Joh. 14. 12. credenti promisit, quod majora, quam ipsus, facturus sit.

8. *Gratis accepisti, gratis date.*) Reprimit hoc præcepto Christus avaritiam & superbiam. Magna cum juberet offerre iudeis, regnum nempe Dei, & dona sanationum, hicq; se offerret occasio, animum cferendi, & quæstum faciendi, in discipulis, prævideret etiam in animo Iudei, quid auri cupido factura esset, d'ageav, inquit, ελάθετε h. e. gratis accepisti, potestatem hanc Sanandi: ergo nolite supertire. d'ageav d'ore, gratis date, sine præmio, mercede, ergò nolite turpis lucis cupidi esse.

Qv. *An hoc præceptum ad utrumq; versum ( de prædicatioue, & donis sanationum ) referendum sit?* Anabaptistæ ex illo colligunt, ministri Ecclesiæ non esse licitum, stipendum accipere: Alii sugillant inde nummum confessionarium, quod gratis debeant contentes absolvere, cum gratis acceperint. Resp. (1.) Chemnitius, illud tantum ad χαροματα Spiritus referendum esse: quod ipse Christus mox v. 10. doceat, Apostolos & alios, qui prædicant evangeliū, & ecclesiis ministrant, ex illō ministerio honestum viatum habere debere. Vetat ergo, inquit, ne ex miraculis, quæ in suo nomine facerent, quæstum privatum captarent. Rationes deinde afferunt quatuor: 1. quod res spirituales non possint terreno aliquo pretio compensari. 2. quod illud solum vendi possit, cuius quis sit Dominus. 3. quod haec dona ex gratuita liberalitate acceperant. 4. ne gratia Dei vilesceret: quæ prolixius ibi videantur in Harm. c. 72. pag. 782. Conferantur, quæ hic Grotius non male adduxit, & exemplis illustravit ac similibus. (2) Alii ad utrumque referunt quidem, sed quæstum facere ex prædicatione evangelii & miraculis prohibuisse Christum, non vita sustentationem inde accipere. Christus ipse non detrectavit oblationes divitum, unde viveret, nec Apostoli recusarunt salario ab Ecclesiis. Grotius h. l. Christus, qui viderat multum decessurum auctoritati doctrina Evangelica, quin neq; extra calumniam futuros discipulos suos, si pro actibus, qui ad testan-

CAP. X. MATTHÆI

gestandam duntaxat veritatem pertinere debebant, aliquid acciperent premii, non sedas tantum pactiones, sed omnem omnino ex rebus ejusmodi, aut etiam ex ipsa docendi operi quæsum probibuit. Interim & Christus & Apostoli cum verbis tum exemplò docuerunt, aqvum esse, ut qui rebus neglectis, procurande aliorum saluti vecarent, ab ipsis vicissim honestè alerentur. B. Gerhardus distingvit inter beneficiorum spiritualium venditionem, & inter grati animi testificationem ac laborum remunerationem. (3.) Nummus confessionarius non est premium pro merce, sed gratitudo pro labore, quem minister Ecclesiae sustinet in confitente informando: interim gratis ille absolvit, neq; pro remissione eorum, premium pro merce accipit: universus enim mundus omnibus suis opibus tantum thesaurum non potest redimere. (4) posito, quod Christus prohibuisset accipere stipendium pro Evangelii prædicatione, non tamen ad nostra tempora applicari posset, quia erat præceptum temporarium, specialiter pertinens ad illam tantummodo missionem, ubi ad Judæos missi sunt Apostoli. Hinc (5) duo illa dicta v. 8. & 10. non dissentunt: nam in priori Christus Simoniam prohibet, ne miracula venalia prostituantur; in posteriori permittit Apostolis, ut mercede loco in ædibus eorum, ubi recipiuntur, oblatum cibum & potum cum gratiarum actione accipiant.

*Nolite possidere aurum*) Not. (1) Metonymia materiæ, scil. auræ & argenti, pro numismate seu pecuniâ, quæ inde facta est. (2) Versio Vulgata, quæ reddit possidere, cum καλῶ magis propriè & frequentiore usu notet comparare, atquirere, itineris causa aliquid sumere; conf. Luc. 10. 3. verbi βασάνῳ propria significatio; ut sensus sit: ne vos crumenâ, perā &c. i. e. ullis sarcinis onente. Vid. prolixè h. l. Beza. (3) Prohibitio non fit simpliciter, sed κατὰ τι, secundum quid: habuit enim Christus ipse γλωσσόμενον, cuius curam Judas curabat: Apostolis enim hoc præceptum, pro hac profectiōne datum, temporarium & speciale fuit, quasi illorum Symbolum, quò certior ipsis esset divinæ providentiae experientia. Quare (4) ex speciali hoc præcepto male Pontificii volum pauperatis colligunt: cum ipsimet statuant, vota debere esse consilii, adeoque arbitria, non præcepta. V. Gerhard. b.l.

M m m 3

9. Ne-



CAP. X. MATTHÆI

9. Neg, *as in zonis vestris*) Not. (1) *Metonymia* voc. χαλκὸς  
as, pro pecunia ex ære: vel *Synecdoche* speciel pro genere: nam,  
annotante Grotio, ex Horatio, jure, Svetonio, Spartiano &c. non  
æra tantum, sed & aureos & argenteos nummos in zona portare  
solebant. Primitus moneta fuit ærea & ferrea, (utramque signifi-  
cat χαλκὸς,) deinde argentea, postremò aurea; ut contrà accide-  
rit pecunia, ac moribus hominum, qui ex aureis degenerarunt in  
plus quam ferreos. V. Erasmus h. l. (2) *Synecdoche* subj. pro  
adjuncto, in voc. *zone*, pro *χαλαντία, crumena, marsupia*, in quæ  
recondi solet pecunia, Luc. 22. 35. nam zona est cingulum, de quo  
pendet crumena. Cæterum hæc, quæ hic discipulis interdicuntur,  
usitatissima erant itinerantium viatica, quibus addebat religiosio-  
res librum legis, annotante Lightfooto h. l.

X. Neg, *peram ad iter*) Πίνει Latinè *mantica*, in quam via-  
tores panem & oblongolum recondere solebant: propriè est pasto-  
rum folliculus, diurni cibi repositoryum, cum vinculis, quæ pro-  
re nata vel fortius adstringi, vel amplius laxari poterant. Martialis  
*peram etiam Latinè dixit*. Prohibitioni h. l. videtur contrariari Lu-  
cas, c. 22. 36. *Qui crumenam habet, sumat eam, similiter & pe-  
ram.* R. 1. distinguenda sunt tempora. 2. pera per Synecd. con-  
tentī panem in pera notat, uti Marcus 6. 8. exponit, utrumque po-  
nendo: nam Christus, nec ære, nec vietu vult se gravent. 3. tem-  
porarium erat præceptum.

10. Neg, *binnas tunicas*) Unica tunica pauperiorem statum in-  
dicat, duplex opulentiorum, uti ex consilio Baptiste Luc. 3. 11. pa-  
ret. Prohibitioni videtur contrariari Pauli penula 2. Tim. 4. 13.  
in Troglæ relicta. R. 1. prohibitio haec fuit temporaria. 2. pro-  
hibuit Christus amictus superflui sollicitudinem, non verò necessarii  
possessionem. 3. Penulâ, quâ aliquando caruit, Apostolus, opus  
habuit, unde affert curat. 4. non vetat duabus indui tunicis si-  
mul, sed gestare vestes superfluas in sarcinis, quia onus esset im-  
pedimento in via.

10. Neque calceos) Græc. παρδηματα, vi vocis, *subligacula*,  
plantas pedum tantum munitientia; sed h. l. notat calceamenti ge-  
nus, quod totum pedem obtigit. Non autem jubet Christus ince-  
dere

CAP. X. MATTHÆI.

dere nudipes, ut stulte hinc Franciscani regulam suam desumperunt; nam apud Marcum concedit incedere calceatos c. 6. 9; sed vetat de calceis non necessariis esse sollicitos, ut solent, qui longum iter suscipiunt; innuens peregrinationem citè absolvendam esse. Quidam enantiophaniam inter Matth. & Marc. solvunt, illud dicitur, quod voci χιτῶνας expressè jungitur, hic repetendum esse, ut sub-intelligatur: neque (bina) calceamenta. Distinguunt enim inter calceamenta *gestationis*, quæ, quia necessaria, non prohibentur, & *permutationis*, quæ ad splendorem induuntur, h. l. prohibita. Ut sensus sit: Nolite calceamenta habere, præter ea, quibus ad viam jam induiti estit. Conciliatio ex discrimine calceorum & sandaliorum, quorum hæc usus durioris & utilioris, illi delicatioris, vid. apud Lightfootum h. l. p. 330. seq.

10. Neque baculum) Illud dicitur hoc quoque referunt quidam, in primis quod in Codd. nonnullis pluralis πάλαις legatur. Cum igitur baculi usus Marc. 6. 8. concedatur, hic & Luc. 9. 3. prohibeat, intelligendum volunt de baculo defensorio & punitorio, non de fulcitorio & sustentatorio. At cum recepta lectione habeat singularem, cum conditione intelligitur, si scil. mox parabilis legationis impedimento fuerit, si autem non, absque baculo abeundum esse. Confer, B. Gerhardus h. l. & Calovius. Breviter autem Brentius: Nulla res ranti sit, qua vos derineat, quod minus è vestigio legationem suscipiatis & absolvatis.

10. Dignus est operarius alimento suo) Not. (1) vox ἀξιός, cuius significations notante Er. Schmidio, sunt: 1. dignus, 2. equivalens, equiparandus, 3. estimandus, valens, 4. pretiosus, 5. convenientis, congruens. Grotius annotat h. l. Vox ista Gracis, & quæ huic respondent Gracis & Latinus, non semper τὸ ἄριον, sed qualemcumque rei convenientiam notat, ut liquet Ephes. 4. 1. Phil. 1. 27, Col. 1. 10. &c. (2) Lettio: quidam Codd. enim habent, τὸ μισθὸν αὐτὸς: sed Syrus & reliqui τερψῆς. (3) significatio τερψῆς generalior, ut vestimenta & habitationem includat. (4) sensus: Laborate fideliter, & cibus vobis ultrò aderit, suppeditandus ab iis, quos doceatis. Sententia non ad Apostolos tantum, sed generaliter ad omnes homines pertinet, quorum suam quisque vocationem & officium habet, ad quod conficiendum divinitus emitti solet. Ut enim Apostolis

CAP. X. MATTHÆI.

stolis, ita quibusvis pro commeatu Deus hoc dictum, *Dignus est operarius &c.* præbuit, exigens, ut sint *operarij*, i. e. fideles admissi suorum officiorum, (non impostores, nugivenduli, ὄφθαλμοδελτοι, non cogitantes primum omnium de alimentis,) sic futurum esse, ut digna ipsis contingat merces, si non ab hominibus, certe à Deo ipso. Grotius h. l. scribit: *Quanquam sententia hac, eum, qui operas præstat, virtu, aut, ut Lucas & Paulus loquuntur, mercede dignum esse, referri possit ad divina benignitatis estimacionem; tamen cum Lucas & Paulus aperiè hanc χέστιν ponant, non inter Deum & evangelij praæcones, sed inter eosdem praæcones, & qui eorum preconio edocentur, putem hic quoq; ejusdem pronuntiati eandem esse sententiam, ut hoc dicat Christus: Deo providente viatum accipietis ab illis ipsis, quibus docendis sanandiq; operam navabitis: idq; jure equissimo: Quid enim justius, quam τὸ πνευματικὸ σπείροντας τὰ φράγματα θεοῦ v. 1. Cor. 9. 1. quantillum est tenuis vietus, si cum tantis beneficiis comparetur? Atq; hic iterum apparet, modò dici circa equalitatis rationem: nego tantum, ubi merces operam excedet, verum etiam ubi indigna est merces, quæ ad operam comparetur. Addo, moneri & doceri utrumque, tam patrem-familias quam operarium, ut, si volnerint à Domino benedictionem consequi, ille liberaliter numeret, hic verò fideliter laboret & vocationem administret.*

XI. *Exquirite, quis ibi dignus &c.)* Not. (1) Ellipsis vocum sub-intelligendarum, siquidem oratio plena hæc est: *Diligenter exquirite, quis in ea (civitate aut viro) dignus sit (scil. ministerio vestro) illuc (in domo illa vel apud eundem hospitem) manete, usq; dum (inde rursus ad urbem aut pagum) excusat. (2) significatio voc. ἀξιός, Talmudice נז וְכִונֵנִים, aptus, idoneus, cupidus recipiendi evangelium, qui non reluctetur vestrae prædicationi, apud quem labor vester non sit frustraneus. Conf. v. 13. seq. & Actor. 13. 46. (3) sensus orationis: Manete, nec temerè, sine gravi causa, mutate hospitium, (Luc. 10. 7. μὴ μεταβούντες εἰς οἰνιας εἰς οἰνια, ostiatim, de domo in domum non transeat, forte melioris vietiū spe, quævis enim domus, quivis vietus sufficere debet evangelicis; sed hospitio apud honestum civem obtento tantisper utimini, iisque, quæ illis in promptu sunt, fruimini.*

DECAS XXIX.  
**THESIUM**  
**CONTROVERSARUM,**  
Ex loco de Oratione Dominica &  
de Jejunio selectarum.  
Qvam  
DEO AUXILIANTE,  
RECTORE MAGNIFICENTISSIMO,  
SERENISSIMO ATque, EXCELSISSIMO PRINCIP*E* AC DOMINO,  
**DOMINO FRIDERICO**  
**WILHELMO,**  
REGNI PRUSSIÆ ET ELECTORATUS  
BRANDENBURGICI HÆREDE, &c. &c. &c.  
VENERANDA FACULTATE THEOLOGICA CONSENTIENTE,  
PRÆSIDE  
**BERNHARDO** von SANDEN.

S. Theol. Doct. Profess. Ordin. Pastore Lœbn.  
& Consist. Sambiensis Assessore,  
publicè ventilandam proponit,  
RESPONDENS

JACOBUS *Fordahn*/

Theol. Stud. Liebstad. Prussiæ.  
IN AUDITORIO MAJORI,  
Ad diem Januarii Anno MDCCVI.

---

REGIOMONTI, EX OFFICINA,  
Privilegiò SAC. REG. MAJ. confirmatâ, GEORGIANA.



VIRIS

GENEROSIS ET MAXIME STRĒNUIS

DNO. JOACHIMO Nagel / S. R. Maj. in Prussia Capitaneo  
meritissimo, Hæred. in Achthuben / ec. ec.

DNO. JOHANNI ERNESTO de FROESIN, S. R. M. in  
Prussia Capitaneo meritissimo, Hæred. in Banners / Gar-  
tenpungel / Neglack ec. ec.

*Patronis ac Dominis suis honoratissimis,*

NOBILISSIMIS, PLURIMÙM REVERENDIS, CLARISSIMO,  
DOCTISSIMIS ATq; SPEC TATISSIMIS

DNO. JOHANNI LUDOLPHO LÖKK, S. R. M. in Pruss.  
Cameræ Assori Gravissimo, Hæred. in Beileiden ec.

DNO. HEINRICO HAHN, S. R. Maj. in Prussia Commiss.  
Secretario dexterimo, Scabinatus Cniphovianus Assori graviss.  
Hospiti suo & Benefactori optimo.

DNO. M. GODOFREDO Engelbrecht / Ecclesiæ Tapiavi-  
ensis Pastori vigilantissimo.

DNO. GEORGIO WILHELMO FABRICIO, Ecclesiæ Her-  
zogwald. & Waltersdorff. Pastori vigilantissimo.

DNO. THEODORO Deder / Districtus Morungenis Aren-  
datori vigilantissimo.

DNO. JACOBO LAXDEHN, Districtus Dollstadiensis Burg-  
grabio benè merito, & Districtus Quitreinensis Arendatori  
Hæred. in Schedninen / Lamisdorff ec.

DNO. CHRISTOPHORO HEINRICO Krauß / Scabinatus  
Liebstadiens. Assori benè merito.

*Patronis ac studiorum suorum Promotoribus*

Publicum Specimen hocce Theologicum in debi-  
tæ gratitudinis rexμίσιον & ulterioris bene-  
ficiæ incitamentum submissâ mente manuq;

*offeret & consecrat*

JACOBUS Jordahn / Resp.

I. N. 7.  
DECAS XXIX.  
DE ORATIONE DOMINICA  
ET JEJUNIO.

THESIS I.

**N**ON paucæ in V. & N. T. precationum formulæ occur-  
runt: Præter Psalmos Davidis & alios hymnos legun-  
tur preces Mosis, Exod. XXXII. 11. Hiskiæ 2. Reg. Jordahni  
XIX. 15. Judith cap. IX. 2. Ase 2. Paralip. XIV. 11.  
Esaiæ cap. LXIV. 1. Danielis cap. IX. 4. Apostolorum  
Act. XVI. 25. & Pauli passim in Epistolis. Inter omnes verò faci-  
lè eminet *Oratio Dominica*, quam Christus Discipulos suos docuit  
Marth. VI. 9. Luc. XI. 2. Habet hæc Oratio prærogativam præ ali-  
is, quod Autorem immediatum agnoscat non Prophetam, Aposto-  
lum, Evangelistam, neque Angelum aut Archangelum, sed ipsum-  
met Dei Filium θεονθετόν, quem jubemur audire Matth. XVII. 5.  
qui formulam hanc Apostolis & omnibus Christianis præscribendo,  
non solum per illam distingvi voluit eosdem à Judæis, Gentilibus  
& hypocritis, quorum preces apud Matthæum c. l. in primis pro-  
pter multiloquium reprehendit, sed etiam fiduciam Orantium fir-  
mare voluit de exauditione ejus, quod petimus in nomine ipsius,  
verbis ab Advocate nostro coelesti præscriptis. Qui fecit vivere,  
docuit & orare, benignitate scilicet, quā & catena dare & confer-  
re dignatus est, ut, dum prece & oratione, quam filius docuit,  
apud Patrem loquimur, facilius audiamus. Amica & familiaris  
Oratio est, Deum de suo rogare, ad aures ejus ascendere Christi ora-  
tionem, inquit Cyprianus libro de Orat. Domin. Hisce meritò  
jungimus verba B. Lutheri in Catech. Majori p. 509. *Hoc ipso ad o-  
randum non mediocriter pelliciendi & pertrahendi essemus, quod  
Deus juxta preceptum & promissionem etiam antevertit nos, ipse  
verba ac modum orandi prescribens, ac velut premansum in os in-  
gerens, quomodo & quid nos orare oporteat.* Commendat etiam  
Oratio hæc sese admirandâ suâ brevitate, quæ tamen complectitur  
omnia, quæ recte & congruerter à Deo peti possunt, ostendens à  
quo, quomodo, quō ordine & fine petenda sint, ut docet August.

A

Epist.

Epist. CXXI. ad Probam. cap. 12. & Serm. CXXXVI. & CLXXXVII.  
de Tempore & Serm. XXII. ad Fratres in Eremo: Imò in ea bre-  
viarium totius Evangelij comprehendi voluit Tertull. lib. 1. de Orat.  
cap. 1. Vid. B. Parentis Disp. ult. Theol. Posit. §. ult. Denique  
congruit omnibus hominibus & in universum omnibus illorum ne-  
cessitatibus atque quibuscumque occasionibus. Sicuti verò jam ante  
Christum natum certæ formulæ precandi Deum in Ecclesia V. T.  
usitatæ erant, neque Christus novum Dei cultum in Lege Mosaica  
nondum expressum ac in V. T. nondum usitatum, instituit: ita di-  
ci nequit quod Christus præceptò hòc de Oratione certà formulâ  
concepta, Legem Mosis perfectiorem & completiorem reddere, aut  
novam legem ferre voluerit. Id quidem contendunt Sociniani.  
Catechesis Racoviensis de Offic. Christi Propheticō cap. 5. p. 194.  
Smalzius de Divinitate Christi Racovia A. 1605. Cap. 5. Idem  
Smalzius contra Franzium Disp. VII. Affirmamus non tantum nullam  
creandi formulam prescriptam, sed nec precationem ipsam olim præ-  
ceptam fuisse in Lege. Preces ad Deum concepisse interdum viros  
quosdam Santos, certum est: Sed præceptum illud omnibus perpe-  
tuò alicubi fuisse, docere nemo potest. H. I. Sed refellitur temera-  
rium illud assertum de non præcepta sub Lege oratione, ex praxi  
Credentium in V. T. & privata & publica: Abrahmi Gen. XVIII.  
22. 23. XX. 7. XXII. 5. Isaci Gen. XXV. 21. XXVI. 5. Jacobi Gen.  
XXXII. 9. -- 12. XLVIII. 15. 16. Hebr. XI. 21. &c. Quodsi itaq; non  
præcepta fuisse Oratio, ex fide illas piorum orationes non fuisse,  
adeoque Deo non placuisse dicendum foret. Neque inde ab ulti-  
ma mundi antiquitate sacrificantes Deum coluere sine oratione; Ne-  
que cultus divinus sine precum exercitio fuit. Jam tempore Enos  
dicitur *cæptum esse invocari Nomen Domini* Gen. IV. ult. Neque lo-  
ca sacra Deo dicata, nominatim in Schilunte & postea Hierosoly-  
mis, nisi ut essent, domus Orationis Es. LVI. 7. Matth. XXI. 13.  
Marc. XI. 17. Luc. XIX. 46: collato cum I. Sam. I. 3. Disertè verò man-  
datur Oratio in V. T. Ps. L. 15. *Invoca me.* Esa. LV. 6. *Quarite*  
*Dominum dum inveniri potest, invocate eum, dum prope est.* Et  
quid potest apertius esse, quam quod Salomo in Dedicatione Tem-  
pli sexies Deum rogavit, ut in Templo Deus gratas haberet populi  
Orationes; Et Deus oraculo suo respondit, se ita velle ac jubere  
1. Reg.

1. Reg. VIII. 33. 35. 42. & seqv. 2. Paralipp. VI. 21. & seqv. cum  
2. Paralipp. VII. 14. Qui ergo dici potest, non præceptam fuisse  
in Veteri foedere, nec requisitam Orationem? Imo quod sub primo  
præcepto Decalogi contineatur Invocatio manifestè patet ex Deut.  
VI. 13. & Matth. IV. 10. Sed & fideles sub Veteri foedere suas  
precandi formulas habuisse satis patet. Annon Psalmus ille à Da-  
vide præscriptus 1. Paralipp. XVII. 8. in perpetuo usu in Ecclesia Ju-  
daica fuit & publicè decantatus? Nonne hymnus Paschalis, quem  
plerique volunt constitisse ex Psalmis CXIII. & sequentibus, usque  
ad CXVIII. inclusivè certa fuit precandi formula? Ne quid de Cap.  
XII. Esaiae, de Danielis, Syracidis & aliorum formuljs dicam. Do-  
cet Apostolus Eph. V. 19. recitandos Psalmos, hymnos, cantiones  
spirituales. Ergo jam olim fuere tales precandi formulæ in Conven-  
tibus sacris usitatæ. Quod ipsam Orationem Dominicam attinet,  
si ejus analysis instituamus, deprehendemus illa ipfa, qua Christus  
nos petere iussit brevi formulâ, efflagitasse Sanctos & inter eos  
maximè Davidem prolixioribus & fusoribus verbis: Nisi dixeris  
Patres V. T. nunquam de sanctificatione nominis divini, de adven-  
tu Regni Dei & reliquis, quæ petimus in Oratione Dominicæ, fu-  
isse sollicitos, quod tamen falsissimum. Videatur aiias vitis docti-  
simis, Christum in contextenda oratione hac colligisse Ἰησοῦς  
quædam præstantissimorum cimeliorum, quæ in Ecclesiæ Judaicæ thesauro  
Oratorio supererant: Cui rei probandæ formulas Orationis hujus ple-  
rasque in libris & Evchologii. Hebræorum Veterum, Drusus, Ca-  
pellus, Lightfootus aliisque ostendere sategerunt. Sed non opus est  
ad talia ut nos recipiamus, habemus in ipsis Mosis, Prophetarum &  
Psalmorum scriptis tales formulas, ex quibus hæc Oratio aptissimè  
composita & sapientissimè adornata. Inductione id singulorum in  
Oratione Dominicæ Capitum ostendere in proclivi est. Incipit ea:  
Pater noster, qui es in celis: Ita dicit Ecclesia: Es LXIII. 16. Tu es  
Pater noster &c. tu Domine es Pater noster. Conf. Deut. XXXII.  
6. Jerem. III. 4. Tu exaudiás in celo loco habitationis tue, dicit  
Salomo 1. Reg. VIII. 39. Confer. Es. LXIII. 15. Ps. XI. 4. Ps. CXV. 3.  
Prima petitio ita sonat: Sanctificetur nomen tuum. Sic & Num.  
XIV. 17. dicitur: Nunc igitur magnificetur Virtus Domini, quem  
admodum pronunciasti, dicendo; Iehova est longanimis &c. Vid.  
Num.

Num. XX. 12. XXVII. 4. Levit. X. 3. Deut. XXXII. 5. 1. Ezech. XXXVI.  
23. Ps. CIII. 1. CXLVIII. & seqv. Secunda petitio est: *Adveniat  
regnum tuum.* Sic orat David: *Attolle super nos lucem faciei tuae  
Jehova.* Conf. Ps. LXVII. 2. Ps. XXII. 28. 29. XXXIII. 8. XLIX.  
Tertia petitio hæc est: *Fiat voluntas tua, sicut in cœlo, ita & in  
terra.* Idem orat David quoad sensum Psal. XXV. 4. 5. *Vias tuæ  
Jehova nota fac mibi, & semitas tuas doce me. Fac incedam in  
veritate tua & doce me.* Confer. Psal. CXIX. 4. 5. Huc faciunt  
ejusdem: *Quod si ita dixerit, non delector te, ecce me, faciat mihi  
prout bonum in oculis suis* 2. Sam. XV. 26. Conf. 1. Sam. III.  
18. Job. I. 21. Quoad additionem, *sicut in cœlo,* ipse David se ad  
cultum & laudes Dei excitans Angelos spiritus coelestes sèpè addu-  
cit, quos in exemplum laudis & obedientia sibi proponit Ps. CIII.  
20. 22. & alibi. Quartâ petitione dicimus: *Panem nostrum quo-  
tidianum da nobis hodie;* Ipsissima oratio exstat Proverb. XXX. 8.  
*Ale me cibo demensi mei.* Confer. Psal. CXLVIII. 15. 16. & Gen.  
XXVIII. 10. Remissionem peccatorum, quam petimus quintâ Pe-  
titione verbis: *Et remitte nobis debita nostra, perisse omnes Sanctos*  
in V. T. David declarat Psal. XXXII. 5. Ex multis aliis audiamus  
Mosen orantem: *Si nunc inveni gratiam in oculis tuis Domine, con-  
dones iniuriam nostram & peccatum nostrum.* Exod. XXXIV. 7. Re-  
missionem verò illam divinā adjunctam habuisse remissionem factam  
proximo, juxta id quod dicitur: *Sicut & nos remittimus debitoribus  
nostris,* liquet ex præcepto quod habuerunt sub V.T. ut sibi mutuo re-  
mitterent offensas Lev. XIX. 18. Prov. XXV. 21. Sextæ & septimæ,  
quas Smalzius conjungit, toties mentio fit quoties vel David vel alii  
Sancti ex temptationibus, ex tribulationibus, ex morbis, ex angustiis,  
ex ipsa denigâ morte se erui petunt. Quid enim aliter tum dicere  
volunt, quam hoc quod dicimus in hisce: *Ne inducas nos in tenta-  
tionem, sed libera nos à malo.* Denique clausula: *Quia tuum est  
regnum, & potentia, & gloria in secula,* eadem totidem fere ver-  
bis exstat 1. Chron. XXIX. 2. Et ne quid desit, habes *Amen,* Ne-  
hem. VIII. 7. Benedixit Efra Jehova Deo maximo, cui responden-  
tes totus populus amen, Amen, cum elatione manuum suarum. Ita-  
que Oratio Dominica quoad materiam non est nova, ut ostendi-  
mus, idem enim jam V. T. fideles petière. Formam si spectes  
inter-

Internam, eadem quoque est in V. & N.T. nempe divini nominis cultus & cele ratio: Externa autem sive modus iste peculiaris certis verbis propositus non novum praeceptum constituit, quia accidens est, ideoque essentialiter Decalogum perficere non potest. Et si aliquid petendum esset in N.T. quod non petitum in V. T. nondum tamen sequeretur hanc esse partem legis, quae solum docet, quod sit orandum, sed ad Evangelium referendum esset, quod divina beneficia explicatius proponit. Vid. Stegmannus in Photinianismo Disp. XVI. I. qv. 3. Ceterum alia Socinianismi mysteria, quae ex verbis Orationis Dominica exsculpere fatagit Smalzins, solidè discussa & refutata vide apud Joh. Cloppenburgum in Anti-Smalcio Oper. Tom. II. p. 596. & seqv.

II.

Non solum in Oratione Dominica Orationum omnium Canon & regula proposita est, ad quam preces omnes ab hominibus composita exigenda sunt juxta illud Christi: *Cum oratis dicite*; Luc. XI. 2. Sed & oratio continetur, quam fundere omnes tenentur, juxta illa Christi: *Sic igitur orate* Matth. VI. 9. Licet enim non ita formula huic nos Christus adstrinxerit, ut aliis ad ejus amissim compositis uti nefas sit; & reitantes eam neutiquam ea superstitione laborare debeant, quasi in literis & syllabis efficacia lateat, atq; illa potius cum intelligentia gratia & Spiritu I. Cor. XIV. 14. 15. recitanda sit. Tamen ejus usus pius omnino est & non omitti potest. Liberum est aliis atq; aliis verbis, eadem tamen, que hec Oratione continet, in orando dicere; Sed non debet esse liberum alia dicere, inquit August. Epist. CXXI. cap. 12. Interim ipse præ aliis commendat hanc orationem, atque compertum est jam in antiqua Ecclesia hac oratione reliquas omni fuisse obsignatas. Certè Discipuli formulam precandi petierunt & Christus iis hanc tradidit, & Evangelista iisdem penè verbis eandem repetiere, & formula haec ab illo tempore servata fuit in Ecclesia. Itaq; par ejus atq; formulæ Decalogi, Baptisimi & S. Cœnæ ratio esse videtur. Præterea, ut diximus, omnibus omni loco & tempore orantibus accommodata & authorem agnoscat optimum orandi Magistrum. Temere id inficiantur Brownistæ, Sectarii quidam in Anglia, ita dicti à quodam Roberto Browne, de quo & assecris ejus vid. Hoornbeck in summa Controv. lib. X. p. 620. & sequ. Haud licere iidem, teste Hoornbeckio l. c. p. 680. con-

tenderunt; certis formulis in precando uti, ne quidem Oratione Do-  
minica. Imò existimarent Anti-Christianum hoc esse & supersticio-  
sum, datamq; à Christo Orationem Dominicam tantum eum in finem  
ut pro exemplari Orationis inserviret, doceretq; quomodo & quā me-  
thodo precatio-nes nostras componere & instituere debeamus, non ve-  
rò ut ea utamur. Hanc esse eorundem sententiam probat ex eorun-  
dem Apolog. ad Oxonienses th. 9. & aliis eorundem scriptis. A-  
deoque ex hoc Capite Liturgiam Anglicanam eosdem rejecisse con-  
stat. Verùm sicuti frustra certas precum formulas, quæ pro diversis  
Ecclesiis, diversè sunt, impugnarunt Sectarii, atque eorum utilitas  
satis commendata sit etiam à nostris vid. Balduinus Cas. Consc.  
lib. 2. Cap. 7. casu 13. Ita Orationi Dominicæ inter preces fide-  
lium nolle locum dare planè Anti-Christianum est. Hunc in finem  
à Christo præscripta, ut eā uterentur fideles in primitiva Ecclesia.  
Augustinus Epist. 59, explicans differentiam, quæ est inter precatio-  
nes, orationes &c. ex I. Tim. II. 1. inter alia ait: *Orationes dici  
cum benedicitur & sanctificatur & ad distribuendum comminuitur S.  
Eucharistia: Quam totam petitionem fere omnis Ecclesia Domini-  
cæ Oratione concludit: Et Serm. LXXXIII. de diversis, inquit: Post  
Orationem Dominicam quam accepistis & reddidistis, dicitur Pax Vo-  
biscum.* Imo in Constitut. Clementinis lib. VII. cap. 25. & Con-  
cilio Toletano IX. can. 9. reprehenduntur illi, qui non quotidianie  
sed solū Dominica die Orationem Dominicam dixerunt: *Quotidiana,*  
dicit canon laud. Concilii: *oratio est quotidie igitur dicenda.* In  
Synodo VI. Oecum. Constantinop. c. 7. Omnes fideles jubentur di-  
scere Symbolum & Orationem Dominicam. *Quia, nisi quis has du-  
as sententias memoriter tenuerit, & ex toto corde crediderit, & in  
oratione sapissime frequentaverit, Catholicus esse non poterit.* Huc  
spectat, quod & Orthodoxi Pelagianis tanquam quotidianam ora-  
tionem, petitionem quintam, opposuerint. Itaque sectarii hisce  
merito opponimus illa Augustini Serm. CCXV. de Tempore. Sym-  
bolum vel Orationem Dominicam & ipsi tenete & filiis vestris ostendi-  
te. *Nam nescio quā fronte se Christianum dicat, qui paucos versus  
in symbolo vel Oratione Dominicæ dissimulat orare.* Atque hinc &  
Catechumenis cum Symbolo & Oratio Dominicæ tradebatur, reci-  
tanda tamen demum post baptismum. Confer. Joh. Casp. Svicerus  
Sacr. Obsery. lib. singulari Cap. VI. p. 161. III.

Commendata debet omnibus Christiatis esse frequens & devo-  
ta Orationis Dominica recitatio: Non tamen debet ad numerum  
& calculos recitari, aut ejus Recitatio tanquam opus operatum ha-  
beri, ut sit in Papatu, ubi ad certum numerum jabentur aliqui hanc  
recitare Orationem. Sic Innocentius III. autoribus cædis Conradi E-  
piscopi Herbipolensis inter alias Partes Pœnitentia & Expiationis sui  
peccati hanc dictavit, ut Orationem Dominicam decantent centies in-  
ter diem & noctem, referente Bzvio ad A. 1204. In Pontificali militi  
regulari imponitur, ut singulis diebus dicat 150. Pater noster. In-  
primis abusus est hujus Orationis, quod illa immediate cum Ave Ma-  
ria in Rosario, quod vulgo *Pater Noster* vocatur, in Papatu con-  
jungatur, ita ut secundum numerum sphærularum auf corallio-  
rum minutiorum orientur salutationes Angelicæ quinquaginta &  
secundum numerum grandiusculorum, minutioribus interjectorum, quina  
Pater noster, quarti rationem precandi Mantuanus lib. 4. sic descri-  
bit: *Quæ filo insertis numerat sua murmura baccis.* De hujus origi-  
ne & turpissimo abusu nos fusi in peculiari Dissertatione de Ro-  
sario seu modo precandi Ave Maria & Pater noster ad calculos &  
numerum Pontificis proprio A. 1701. habita. Abusus hujus O-  
rationis consistit maximè in battologica sanctissima hujus Orationis  
recitatione. Ita scilicet in Papatu pro devotissimis habentur, qui  
iteratas certo numero Orationes Dominicas sine attentione vel eti-  
am intelligentia demurmurant, & huic demurmurationi vim satis-  
factoriam vel expiandi peccata adscribunt. Sicque incurront re-  
prehensionem Christi, qui talem Battologiam in Pharisæis damnavit  
Math VI. 7. & Pauli, qui vult ut oremus Spiritu & mente I. Cor.  
XIV. 15. Inter requisita veræ & Deo gratae Orationis est seria cor-  
dis intentio & devotione, ut Christus docet, qui dicit *veros adoratores in spiritu & veritate adorare* Joh. IV, 23. Sed hæc in tali O-  
ratione vix obtinent, quæ non ita, ut devotioni quam ut numero  
precum satisficiat, intenta est, & dat plerumque sine mente sonum.  
Quare quadrat in tales precatores illud Cypriani, dicentis, *frustum il-  
lum postulare, ut audiatur à Deo, aut ut Deus sit memor sui, qui  
ipse semetipsum non audit, aut si ipsius memor non est de Orat. Dom.*  
Impietatem hujus Precationis auget, quod Ave Maria jungant cum-

Ora-

Oratione Dominica; Hanc ab ipso Christo, Divino & authentico  
Orationum Magistro nobis esse præscriptam in antecedentibus audivimus: Sed illius quamvis verba divinitus inspirata sint, accommodatio  
& usurpatio à sensu autorum istorum prorsus aliena: Nam mutuata à  
Gabriele Verba: *Ave Maria gratia plena Dominus tecum & ab Elisa-*  
*betha verba illa, Benedicta tu in mulieribus & benedictus Fruktus*  
*Ventrism non in forma Orationis sed salutationis proleta leguntur.*  
Luc. I. 28. 42. Ultima vero ejus pars *Santa Maria, ora pro nobis peccatoribus nunc & in hora mortis nostræ, Amen*, tantum abest, ut à  
Spiritù S. sit, ut maximè ejus Verbo sit contraria. Ne quid dicam  
de falsa elogiorum Mariæ hic tributorum interpretationibus, de quibus  
vid. Henr. Hopfnerus Disp. Theol. XV. membro II. Cento iste pre-  
cationis Marianæ ex hoc solo capite rejiciendus, quia religiosum  
Mariæ cultum quam maximè commendare & stabilire videtur, ade-  
oque repugnat Orationi à Domino præscripta. Nam Oratio Do-  
minica docet religiosè invocandum Patrem qui est in Cœlis sc. quoad  
majestatem & gloriam infinitam. Hæc adjungit Matrem, ut vocant,  
*Misericordia*, de cuius invocatione ne yðu quidem in Scriptura has-  
betur. Oratio Dominica Christum compellat immediate ut blan-  
dum Patrem, Ave Maria hujus intercessionem per ambages que-  
rit. Ut taceam ipsam Materiam Orationis Dominicæ & omnes pe-  
titiones cultum Marianum evertere, & largitionem ejus quod Ma-  
riæ hæc oratio tribuit, soli Deo Patri & Christo vendicare, cuius est  
*Regnum & potentia & gloria in secula seculorum.* Id solum urgeo  
hanc prectionem non esse à Domino sed ab Ecclesia Romana &  
quidem novissimis seculis traditam: Cum tamen juxta Tertull. de  
Orat. c. 9. *Dei solius sit docere ut se vellet orari, & ab ipso omnis ad-*  
*ornata religio Orationis sit.* Et hac de causa Concilium Megunti-  
num A. 813. decrevit, pueros esse in scholis docendos Symbolum  
Apostolicum & Orationem Dominicam. De Ave Maria nihil con-  
stituerunt, nedum ut laciniam illam ab Ecclesia Romana posterio-  
rum temporum assutam probarint: Cujus tamen traditioni homines  
in Papatu à prima juventute assuefiunt: Quare merito Commenda-  
toribus seu Mangonibus Rosariorum reponimus verba Chrysostomi  
Homil. XIV. in Matth. *Qui non sic orat, quemadmodum docuit*  
*Christus, non est Christi Discipulus*, quia nec Pater libenter exaudit  
om-

*orationem quam filius non dicitavit: Cognoscit enim Pater Filii sui  
sensus & verba, nec suscipit, que usuratio humana excogitavit, sed  
que sapientia Christi exposuit.* Sed quid mirum est Pontificios à  
forma orandi à Christo præscripta deviare, & quinis Orationibus  
Dominicis quinquaginta interponere Ave Maria, sive huic prae  
illa praerogativam tribuere, cum ipsam Orationem Dominicam &  
Petitiones ad Patrem directas, passim ad Mariam dirigant, idque,  
quod Christus fideles à Patre jussit petere, ipsi à Matre suos petere  
& exspectare jubeant: Ad oculum hoc ipsum ex Pontificiorum  
Marianis & aliis scriptis demonstravit B. Parens in Scripto Anti-  
Meieriano p. 289. & seqv.

IV.

Quamvis Oratio Dominica diversimodè tum in Latinis tum  
Græcis Codicibus referatur: Non tamen hæc diversitas tanta est,  
ut propterea Scripturam N. T. corruptam esse putemus, & Orationem  
hanc integre & plenè non ex Scriptura, sed ex Traditione ac-  
cipere opus habeamus, ut contendunt Pontificii. Scilicet observarunt  
Eruditi, Latinos Codices formam hujus Orationis apud Lucam c. XI.  
1. seqv., brevius & concisius, quam apud Matthæum recitare. Sic au-  
tem ibi sonat: *Cum oratis, dicite: Pater sanctificetur Nomen tuum;*  
*Adveniat Regnum tuum;* *Panem nostrum quotidianum da nobis ho-*  
*die;* *Et dimittite nobis peccata nostra, siquidem & ipsi dimittimus o-*  
*mni debenti nobis.* Et ne nos inducas in temptationem. Unde Au-  
gustinus in Enchiridio cap. 115. & 116. expresse dicit Dominicam  
Orationem apud Matthæum continere *septem petitiones*, Lucam ve-  
rò quinquā, tantum petitionibus eam complecti. Græci verò Codices  
Orationem illam totam ita apud Lucam ponunt, sicut apud Mat-  
thæum, nisi quod in verbis quibusdam aliqua occurrat differentia.  
Sic in petitione IVta apud Matthæum jubemur orare, *Panem no-*  
*strum quotidianum da nobis στήριξον οὐρανοῦ,* apud Lucam *καθ' ἡμέ-*  
*ρεων;* Et in Vta Petitione Matthæus habet τὸ ὄφειλόν ματα, Lucas  
τὸς ὀμαρτίας; Matthæus dicit, ως καὶ ἡμεῖς remittimus, Lucas  
καὶ τὸ δύτικι siquidem & ipsi dimittimus: Et quod Lucas clausulam  
doxologicam, *Quia tuum est Regnum* &c. omittat. Quanquam &  
Latini Codices olim variarint, quare & apud ipsum Augustinum li-  
bro de Verbis Domini sec. Lucam cap. 28. & Ambrosium de Sacram.

lib. V. cap. 4. *Oratio Dominica tota ita recitatur ex Luca*, sicut ex-  
stat apud Mattheum. Quicquid verò sit de hac vocum differentia  
in textu Græco apud Matthæum & Lucam, sensus tamen utroque  
idem manet, & differentia vocum id solùm docet, nos in hac Ora-  
tione de sensu potius quām de verbis debere esse sollicitos. Quod  
verò in specie de clausula Doxologica Possevinus in Apparatu Sacr.  
Tom. I. p. 234. Bellarm. lib. 1. de Bonis Operibus in part. c. 6. Maldo-  
natus Comm. in Matth. & alii litem movent, candem propterea  
pro authentica non habendam, quoniam nec in Vulgata Latina hā-  
beatur, nec à PP. Latinis in explicatione Orat. Dom. memoretur, id  
facile solvitur. Nam Vulgata non potest præjudicare Originali Græ-  
co textui. Sed in illo in antiquissimis legitur Codicibus teste Ro-  
berto Stephano, Luca Brugenſi & aliis. Erasmus quoque testatur  
coronidem hanc in omnibus Græcorum exemplaribus se compersis-  
se adjectam, quin & Dietenbergius in glossis suis fatetur idem. Ea-  
dem exstat in editionibus Arabicis & Syriacis, quorum autores satis  
antiqui eandem legerunt in textu authenticō. Quin, quod & Apo-  
stolus II. Tim. IV. 15. septimam recitans petitionem, *de liberatione*  
*ab omni malo*, clausulam huic valde affinem adjiciat, sine intervallo  
subjungeris, *servabilit̄ in Regnum suum cælestē*, cui gloria in secula  
seculorum Amen. Videtur scil. δοξολογία suam mutuatus esse ex  
fine Orationis Dominicæ. Accedit hanc δοξολογία non solùm  
fidei analogam esse, sed & alibi totidem verbis exstare, sc. 1. Paral.  
XXX. 10. Reclius itaque dicitur, quod ipsa ex Latinis Codicibus  
exciderit, quām quod Græcis Codicibus ex Doxologia Ecclesiastica  
fuerit inserta. Græcis enim PP. Græcorum exemplarium ab ipsis  
Apostolis profectorum, fides magis fuit cognita atque perspecta.  
Unde & Laurentius Valla in Exposit. Orat. Dominicæ statuit nihil  
hic à Græcis additum, sed à Latinis detractum. Doxologiam verò  
quām addidere Græcis in Psalmis & Concionibus proculdubio ex hac  
clausula canonica videntur adiecisse. Vide Gerhardum Tom. VIII. de  
Morte §. 414. & Waltheri Harm. in Matth. VI. 13.

V.

Dividitur Oratio Dominicæ in Proemium, in Petitiones & Clau-  
sulam. Petitiones numerantur septem; Tribus prioribus petimus ea,  
quæ Dei sunt, nempe nominis Divini sanctificationem, Adventum  
Regni

Regni ejus & exsecutionem voluntatis ejus: Sequuntur eā, quæ nostra sunt, in quibus partim bona precamur sub nomine panis quotidiani in quarta petitione, partim mala deprecamur tria in tribus posterioribus, præterita i. e. peccata, futura i. e. tentationes ad peccatum ducentes, & præsentia i. e. afflictiones in quibus versamur. Reformati verò Theologi hic à nobis dissentunt & non nisi sex numerant petitiones. Calvinus lib. 3. Instit. cap. 20. textu 33. 35. & alii, cum eo hisce fere turgent rationibus. 1. Quia Tertullianus libro de Orat. non nisi sex petitiones Orationis Dominicæ numerat. 2. Quia particula *sed*, post verba: *ne inducas nos in temptationem*, documentum est, hanc petitionem, *Sed libera nos à malo* ad priorem referendam esse, & idem hæc verba petant affirmando, quod illa priora negando petebant. 3. Denique quia Lucas, hæc Verba quod existimaret sub prioribus contineri, plane non afferat. Bellarminus contrà lib. 1. de Oper. bonis in partic. c. 5. Calȳnum multo sale perficit propterea, & multis est, ut doceat & demonstret, septem necessariò Orationis Dominicæ petitiones esse ponendas. Rationes ejus sunt sequentes. 1. Augustinum, Anshelmum, Rupertum, Innocentium, Thomam, Bonaventuram totidem enumerare petitiones. 2. Orationem Dominicam non fore brevissimam & plenissimam, nisi statuantur septem ejus petitiones. Non brevissima, quia res eadem bis repeteretur, non plenissima, quia, si idem profrus sunt: *Ne inducas nos in temptationem*, & *libera nos à malo*, non petimus liberari à malo præterito, sed solum à futuro, nec à malo pœnæ, sed à malo culpæ: Tentatio enim in quam petimus nos non induci, non est malum præteritum, sed futurum, nec malum pœnæ, sed culpæ. 3. Tot esse petitiones Orat. Dominicæ, quot sunt dona Spir. S. hæc autem septem esse. Nos numerum Petitionum per se *αλέθος* & perinde esse sive sex sive septem constituantur petitiones, modò id non fiat contentionis studio & sub necessitate, statuimus. Cum tamen vulgatissima hæc sit distinctio & vulgo recepta, præterea utique latius pateat ultima petitio quam sexta, sitque quasi generalis clausula, *universas petitiones collecta brevitate concludentia*, ut loquitur Cyprianus, docendi gratia hanc, *Libera nos à malo*, septimam & diversam à priori facimus petitionem. Nec obstant Tertullianus & alii, quia Patres diversimode distinxerunt Petitiones, ple-

tisque interim nostra placet divisio. Particula *Sed*, quia est adversativa, contrarium potius insinuare videtur: Scilicet diversam hanc à priori esse petitionem, & eundem habet sensum, quem habet Joh. XVII. 15. De diversitate verborum apud Lucam diximus th. antec. Nam & ibi verba tertiae petitionis, *Fiat voluntas tua omittuntur*: Neque tamen inde licet inferre, secundam & tertiam petitionem esse eandem & per consequens tantum quinque Petitiones esse.

VI.

Plerumque in SS. cum precibus jungitur Jejunium, ut Matth. XVII. 21. Luc. II. 27. Act. XIII. 2. 1. Cor. VII. 5. Ideò recte dicitur Tob. XII. 8. *Bona est Oratio cum jejunio & eleemosynis*. Et ab Augustino Serm. LIX. de Temp. *Jejunia & Elēmosyna ales precum vocantur*. Chrysostomus hom. 80. in Genesin ait: *Jejunio preces semper conjunctas esse oportet*. Jejunium enim etsi per se non sit cultus divinus, quia *Regnum Dei non est cibus nec potus, sed justitia, pax & gaudium in Spiritu Sancto*, & qui his servit Christo placet & Deo probatus est Rom. XIV. 17. non tamen à cultu Dei prorsus alienum est: Sed ad illum promovendam multum prodest, eoq; nomine in Scriptura commendatur, utpote quæ docet, quod sit jejunandum 2. Corinth. VI. 5. & exempla piorum, Davidis, Danielis Apostolorum jejunantium laudat, quomodo sit jejunandum Matth. VI. 16. 17. Esa. LXIII. 6. & quô sine sit jejunandum, Matth. XVII. 21. I. Corinth. VII. 5. Inprimis docet Jejunium pertinere ad σωματικῷ γρυπασίᾳ I. Timoth. IV. 8. Itaq; optimè Henr. Höpflnerus Disp. X. cap. 10, thesi 22. *Jejunium ratione finis sui spectatum in se non est cultus Dei, sed admirabilem solum pietatis: Kar' ἀλλο autem & per accidens fit cultus Dei ratione finis ad quem destinatur, ut velut signum sit humilitatis coram Deo, vel admirabilem pietatis*. Sicut enim vulgo dicitur, plenus venter non studet libenter; Ita etiam dicendum *plenus venter non orat libenter*: Itaq; cum plenus venter ad preces & pœnitentiam ineptus est, securitatem gignit, & devotionem turbat, per jejunium tanquam per corporale exercitium hæc obsecula removentur. Atq; hinc jejunium tale religiosum, de eo enim hic loquimur (non de jejunio medico, tuendæ vel recuperandæ sanitatis causa suscepto, non de naturali, cum cibis deest aut appetitus cibi per luctum aut tristitiam cessat, non de politico propter publica negotia promptius expedienda suscepto, non

non de spirituali aut figurato quod in cessatione à vitiis constitit;) non solum ab Ecclesia imminentibus periculis & calamitatibus publicis fuit indicum, vel per Prophetas, ut I. Sam. VII. 6. Joel. II, 12. aut Sacerdotes Esdræ VIII. 21. vel per Magistratum I. Sam. XIV. 24. Jonæ II. 5. Esth. IV. 17, vel per Apostolos Act. XIV. 22. sed multi pii etiam absque Ecclesiæ instituto jejunia suscepérunt, ut ad poenitentiam preces & alia exercitia pietatis aptiores essent, cuius rei exempla habemus in Davide II. Sam. XII. 16. Daniele Cap. X. 3. Anna Luc. II. 37. & similibus. Interim nulla in primis in N. T. coadiuo, quoad tempus aut abstinentiam ab his aut illis cibis obtinet. Nam quantum ad primum rectè Augustinus Epist. 86. ad Casulanum scribit: *Quibus diebus non oporteat jejunare, & quibus oporteat præceptio Domini vel Apostolorum non invenio definitum.* Inde *dissonantiam in jejunando, que tamen fidei consonantiam non suscilit,* edifferente Eusebio verbis Irenæ lib. V. c. 24. observamus jam in primitiva Ecclesia obtinuisse. Sic in Romana Ecclesia aliis diebus, in Mediolanensi, que non adeo procul ab illa erat, aliis diebus hebdomadarije jejunabatur, ceu ex cit. Epist. Augustini & ex CXIX. constat, ubi laudat exemplum & consilium Ambrosii dicentis: *Quando hic, Mediolani sc. sum, non jejuno sabbatho, quando Roma sum jejuno sabbatho;* Et in quamcunq; Ecclesiam veneritis, ejus morem servate. Totum enim, addit August hoc genus liberam habet observationem. Sic quadragesimæ varietatem liberam prolixè deducit Socrates lib. V. c. 22. nec non Sozomenus lib. VII. c. 19. Rome enim tres tantum septimanas exceptis Sabatō & die Dominico ante Pascha jejunabant, in Illyria, Græcia, Alexandria sçx, alij septimæ hebdomade ante Pascha jejunium ordiebantur, ac tres duntaxat septimanas quinq; dierum singulas per intervalla jejunantes nihilominus tempus illud quadragesimam vocabant. Sed & in abstinentia à cibis Ecclesia libertatem sectabantur ceu Theodoretus in Epist. divinorum dogmatum cap. de abstinentia docet: *Ecclesiam scilicet, nihil ut heretici quidem fecerunt, hic, (de vino, carnibus aut alijs crassioribus aut delicatioribus cibis) per modum Legis constituisse:* Negi illorum sumptionem prohibuisse: Atq; hinc alios quidem liberè & securè absq; ullo scrupulo frui cibis fravibus & jucundis à Verbo Dei concessi: Alios vero ab iis abstinere: Nullum

Verò eorum, qui recte sapiunt condemnare manducantem? Nam & abstinentiam & os participationem esse in libera potestate mentis, sententia sive voluntatis cuiusq[ue]: Et hæc dictis Pauli Rom. XIV. 14, I. Cor. X. & I. Tim. IV. 3. confirmat. Sic & Socrates lib. cit. V. c. 22. diversitatem in abstinentia à cibis in quadragesima exponens, scribit. Alii omnino ab animatis abstinent, alii inter animantia solos pisces comedunt, alii cum pisibus etiam volucres manducant, quia ex aquis utraq[ue] sint orta, alii à bacis & ovis abstinent, alii ari- do pane solo vescuntur, alii ne illo quidem--- Sunt qui ad horam nonnam usq[ue] jejunaverint, indifferenter utuntur cibis, & alia ratione apud alias gentes jejunatur, cujus rei infinita sunt cause. Et quoniam nemo de hac re potest ostendere scriptum aliquod mandatum, perspicuum est, quod Apostoli liberam potestatem hac in re cuiusque sententia & arbitrio permisérint, ut quisque nec metu, nec ex necessitate quod bonum sit, ageret. Sic itaque Veteres libertatem Christianam in Jejuniis adstruunt. Est libertas vera Christiana per omne tempus jejunandi non observantia superstitione, sed continentie Virtute, inquit Cyrillus in Cap. X. Levit. qui hoc fuisus contra Julian. lib. 2. diducit. Atque hinc uti jejunium inter adiaphora referunt & adminicula pietatis, ita illos, qui jejunare non valent liberos à jejunis pronunciant, & iisdem alia adminicula pietatis commendant: Qui cibum, inquit Chrysost. homil. de jejunio, accipit & jejunare non valet, largiorem det elemosynam, frequentior sit in precibus, maiorem habeat alacritatem in audiendis Dominicis eloquitis: Qui hac fecerit verum jejunaverit jejunium, quod à nobis exposcit Dominus H. I. Ut laudem promereatur jejunium, non est per se satis temperare à cibis, sed jejunamus jejunium acceptabile DEO: A vitiis enim absinere verum est jejunium scribit Basilius homil. 2.

## VII.

Accusant nos Pontifici, quod in nostris Ecclesiis jejunia sunt sublata, & quæ ad edundam carnem faciunt repagula tracta. Sed injuriam nobis faciunt. Nam jejunium, prout in Scriptura S. describitur & exemplis Sanctorum monstratur, non est sublatum in nostris Ecclesiis, sed longè sanctius & strictius quam apud Pontificios observatur. Commendamus jejunia, & svademos moderatum usum ciborum omni tempore necessarium, abstinentiam à lauitiis

titii & delicatis cibis, aut etiam à cibis omnino ad tempus, prout quilibet sibi necessarium esse viderit, ad frenandam carnem, ad humiliandum animum & ad excitandum eundem in feriis exercitiis pietatis atq; poenitentiae. Neq; improbatur sed potius commendatur, si Ecclesia vel Magistratus summus, qui externam Ecclesiae gubernationem sustinet, aliquo tempore publica jejunia instituant, cum aliqua communis necessitas aut arduum negotium Ecclesiae id postulat. Nam & hoc exemplis piorum Joel. II. 15. Jon. III. 3. Act. XIII. 2. 3. conforme est; Accessuris ad S. Cœnam in primis commendamus, ut quoniam ab hisce probatio & devotio requiritur, per jejunia se præparent. Sunt etiam de antiquis circumstantiis jejuniæ quædam apud nos in usu. Nam tempore Quadragesimæ & Adventuali publica convivia, nuptiales festivitates &c. prohibita apud nos sunt. Pontificium vero jejunium è nostris Ecclesiis sublatum esse, tantum abest, ut negemus, ut potius DEO gratias agamus, nobis gratulemur, & pios omnes, ut à tali jejunio sibi caveant, moneamus. Nam i. Pontificiorum Jejunium nihil minus est quam verum & Christianum Jejunium, sed recte à B. Chemnitio nostro *Iudicium veri jejunii in Bibliis descripsi* vocatur. Jejunium enim apud Pontificios est velci piscibus & aliis lautiis & exquisitis fructibus, modo ab animalibus terrestribus volatilibusq; & apud quosdam à lacticiniis & ovis abstineant: In jejunio Pontificio licet bibere vinum vel alium quemcumq; potum ad latitudinem, in quo timet luxuriam esse docet Paulus Eph. V. 8. Quis vero dicat talem jejunare? Audiamus quomodo tale Prælatorū in Papatu jejunium deseribat Alanus in libro de planctu Naturæ. *Hodie, inquit, gula vitium profundius se porrigit in Dominos & Prælatos, qui salmones, lucios carcerosq; pisces equipollente generositate insignes variis decoloratum cruciant martyris, balneantes officio sacri piperis, ut multiformem saporis gratiam consequantur.* Alius ministrorum contundit, colat aliis & conficit, substantiam veritatem in accidens, naturam mutat in aërem, ut saturitas transeat in esuriem. H. I. Rudem interea & pauperem plebeculam miserè & sapè cum praesertim valetudinis periculo excruciant, halecum, oleum, olerum & aliorum viliorum ciborum usu. Fraus quoque manifeste deprehenditur in tempore refectionis & solvendi jejunii apud Pontificios: Cœnam enim anticipant Clerici, Prælati & Monachi, sumendam horā nonā

nona vel ad vesperam, juxta morem pristinum; Sed ipsi ante meridiem decantant officium Vespertinum & postea manducant, & sic cenam in prandium mutantes, *fictione* tamen *juris*, ut loquitur summa Angelica, volunt videri per totum diem jejunasse. 2. Pontificiorum jejunia finem ad quem ordinata sunt jejunia, scil. ut homo intentius doleat de peccatis, veniam à Deo postulet precibus & sacris meditationibus ardentius incumbat & perseveret, denique contumacem carnis rebellantis licentiam domet & castiget, non asequntur. Neque enim in Pontificiorum jejuniis imminuitur carnis lascivia, quin optimis piscibus aromatibus & vino generofissimo augetur humor, calor intenditur, Stomachus impletur, mens obnubilatur &c. *Qui sic se à carnis tempenavit, ut alias escas & difficilioris preparationis & majoris pretii inquirat, mulsum errat.* Non enim hoc est *fuscare abstinentiam, sed incitare luxuriam*, inquit August. in Serm. de Adv. Domini. Vid. idem Manichæos, qui vinum & carnem rejiciebant à mensa sua sub temperantiae specie, interim exquisitas & peregrinas fruges sumebant & mulsum & expressos succos, largiter bibebant, reprehendens libro de moribus Manichæorum c. 13. Verba ejus inter alia multa in Pontificios bene quadrantia sunt hæc: *Si quis, inquit, existat ita homo parcus & frugi ut appetitum ventris & gutturis moderans non epuletur bis per unum diem & huic cananti oculis, cum exiguo lardo apponantur eodem lardo unita atque condita, quantum comprehendere fami sat est, sitimq; irriget propter diligentiam valetudinis duabus aut tribus vini meritis potionibus, isq; illi vietus sit quotidianus.* Alius vero ex alia parte nihil gustans carnium, nihil vini, exquisitas & peregrinas fruges multis ferulis variatas, & largo pipere aspersas nona hora libenter assumat, noctis etiam principio talia canaturus: Bibat autem mulsum & expressos succos, vini species imitantes, atq; id etiam savitatem vincentes & bibat non quantum sicut, sed quantum liber, talibusq; deliciis perfruatur nulla necessitate, magni voluptate. *Quem tandem horum duorum, quod ad cibandum potandumq; attinet, abstinentius vitam ducere iudicatis?* Non opinor utq; adeo vos esse cœcos, ut non illum de parco lardo & vino huic gurgiti præferatis: *Ita quidem veritas cogit, sed error vesper longe aliter canit.* 3. Jejunium Pontificium Christianæ libertati vim infert. Nam Concilium Toletanum VIII. c. 5. prorsus tyrannica

Lege



Lege homines adstringit, ita ut eum qui solvit jejunium quadragesime, reum pronunciet passio[n]is Dominicae, excommunicandum in Pa-schate. Joh. Azorius Tom. I. Instit. Moral. lib. VII. cap. 8. scribit, communem esse opinionem Theologorum & Canonic[i] Juris interpre-tum & summistarum jejuni*i* Lege & precepto ita nos teneri, ut si il-lud absq[ue] legitima causa solvamus, lethali peccato obstringamur: Cum tamen ceu ex anteced. thesi patet, Jejunium inter adiaphora referendum sit. Ast Pontificii certos jejuniorum dies, discrimen ciborum & alias observations sub opinione necessitatis & ut legem in conscientia obligantem hominibus imponunt, & sic Paulo in os contradicunt Gal. IV. 10. Interim ii, qui pecuniam certam numerant, juxta Taxam sacram p[re]nitentiarium, dispensationem fa-cile impetrare possunt, ut docet experientia: Atque sic pro lubitu hasce conscientias ligant, illas solvunt, & quæstum faciunt ex eo quod pro opera pietatis habent. 4. Jejunium Pontificium in Satis-factionem & meritum Christi impingit, & vel ex hoc unicè repudiandum. Docent enim Jejunium esse ipsum bonum opus & quidem meritorium & satisfactorium, eoque satis fieri non solum pro propri-is sed & pro alienis peccatis & liberari animas ex purgatorio. Sic docuit Petrus à Soto, Azorius, Pererius & alii passim: Bellarmino[n]s jejunis tribuit *meritum de congruo*, quo possit justificationis gra-tiam mereri impius, nec non *meritum de condigno*, cui respondeat merces, nempe salus & vita æterna lib. 2. de Bonis operibus in par-ticulari cap. 11. & seqv. Similiter statuit esse *satisfactorium de con-gruo & condigno* lib. 4. de Poenit. c. 12. lib. 1. de Indulg. c. 2. & lib. 2. de B. O. in partic. c. 11. Verùm nullus unquam Sanctorum ad expiationem peccatorum suorum jejunasse legitur: Nec jejunia vel assumpta vel indicata vel etiam divinitus præcepta ullam habere pos-sunt proportionem, vim aut valorem tollendi peccata propria aut aliena, quæ non nisi pretioso sanguine Filii Dei expiari possunt. Atque hinc meritò Pontificiorum jejunia, ut hypocritica sive Phari-saica, ut superstitionis, ut ludibria veri jejuni*i*, ut impia ratione finis principalis rejicimus & damnamus.

VIII.

Pontificii interim, ut Jejunia sua commendent & nostram Ec-clesiam Jejunia illa rejicientem odiosam reddant, Aërii hæresin hic nobis impingere solent. Ita Bellarminus lib. 4. de Notis Eccles. c. 9.

C

Aëri

Aëriani, inquit, teste Augustino docuerunt, statu solenniter jejuniū celebranda non esse, ne videantur esse sub lege: Epiphanius addit, eos è contrario conservisse feria Sexta & in Quadragesima ac præcipue in magna hebdomade risci carnis & si quando jejunare volebant, die potius dominico, quam alio jejunare solitos. Eadem docent & faciunt Lutherani ferè omnes. Ur calumniam hanc amoveamus à nostrate Ecclesia, sciendum est Aërium Jejunium ipsum non rejecisse, sed quasdam ejus circumstantias. Fatetur enim Epiphanius, quod Aëriani diebus Dominicis & sèpè feria quarta jejunaverint; Itaque de eo an jejunandum sit, nihil fuit cum Aërio controversia: Id solum in questione erat, an stata jejunii tempora dicanda sint? Negativam Aërius defendit sub specioso prætextu, quod de tempore jejunii nulla Lex in N. T. à Christo aut Apostolis lata sit, Christiani autem novis Legibus onerandi non sint, cum à Legum Ceremonialium jugo per Christum redempti sint. Et ex parte quidem Aërius verum dixit & idem Augustinus dixit Epist. 86. ad Casulanum supra citata; Sc. in toto N. T. certa jejunii tempora dicta non esse. In hoc tamen peccavit & malè audit, quod Ecclesiæ potestatem ademerit indicendi certa jejunii tempora, eamque Judaismi ob latas de jejunii Leges accusaverit. Meminisse enim debebat Ecclesiam jus ordinandi in ritibus externum Dei cultum & quæ hoc faciunt, habere ita ut circa adiaphora statuere pro arbitrio possit, modò non τὰ μέσα divinis sanctionibus præponantur vel adsequantur, vel sub necessitate salutis urgeantur, legesque de iis latæ temerè ferantur aut nimium multiplicentur. Rectè scilicet Aërius à Catholicis Doctoribus reprehensus fuit, quod Ecclesiæ de jejunii statuta violaret, & schisma faceret; Impium hoc utique erat & homine Christiano, nedum Presbytero, indignum, si Aërius illis diebus, quibus jejunium indixit Ecclesia, ventri & gulæ in Ecclesiæ contemptum litavit, quæ in re neminem Protestantium adstipulatum invenit. Dicunt: Atqui idem faciunt Lutherani: Nam in A. C. profitentur, *sé non damnare ipsa jejunia, sed traditiones, quæ certos dies, certos cibos prescribunt.* Verum hæc manifesta sententiæ nostratium perversum est. Neque enim A. C. Veteris Ecclesiæ Leges de Jejunii damnat, sed Pontificiæ, quæ cum illis nihil commune habent, ceu ex anteced, constat & ex Chemnitio qui compensationem inter hæc & illa instituit in Exam. Concilii Tridentini Part.



Part. IV. p. m 766. & seqv. Neque simpliciter certos jejuniorum dies A. C. damnat, sed illos demum, qui cum periculo conscientiarum tanquam necessarius cultus Ecclesie obtruduntur, quod quemadmodum non fecit Vetus Ecclesia, ita nec Aërius reprehendere poterat. Itaque falso Aërianismus nobis imputatur, & evidens est, quod quantum Papistica Jejunia ab antiquis Ecclesiæ purioris jejunis, tantum quoque nos ab Aërianis distemus. Confer. Joach. Hildebrandus in Discussione Hæreseon Aërii, quas Protestantibus Pontificii impingunt; Helmst. A. 1656. edita §. 30. & seqv.

IX.

Instant Pontificii tamen: Aërius ideo notatur, quod feriae quartæ & sextæ & in primis Quadragesimæ Jejunium solverit; cum tamen Epiphanius & alii ex Apostolico canone & traditione illud derivent. Jam verò hoc faciunt Protestantes: ubi enim, dicunt, apud eos observantur Jejunia quartæ & sextæ feriae: ubi quadragesima apud eos ita observatur, ut in Veteri Ecclesia observata fuit? Verum quadragesimam ab Aërio violatam Bellarminus comminiscitur: Nam Epiphanius ad quem provocat, nihil habet de quadragesima, sed de diebus Paschæ, per quos intelligit septimanam Paschæ præviam: *Hisce diebus, dicit Aërianos beluatost & confessatos suisse, quo tempore in Orbe Christiano in luctu & jejunis maximè rigidis solo pane & aqua contenti vixerunt, buminibarunt, ab uxoribus abstinerunt &c.* Sed hic vitæ rigor in ipso papatu per quadragesimam cessat, adeoque non habent, quod hac in parte nobis improperent: Et si nos cum Aërio quadragesimam violare dicendi sumus, quod à carnium esu non abstinemus, in simili criminis Pontificii hærebunt ideo, quod per quadragesimam à vino non abstineant: Nam utrumque in Aërianis Epiphanius ex æquo reprehendit, & testatur *nihil accipi istis diebus nisi panem, aquam & saltem*. Aperta autem est calumnia in Ecclesiis nostris Magnam Hebdomadæ in commendationibus exigi: Quanta sit illius reverentia, quantus ad ædes sacras fidelium concursus, quam devota S. Eucharistiæ in passionis & mortis Dominica memoriam institutæ celebratio & cætera pietatis exercitia apud nos vigeant, ipsa docet *ivrovia*. Cæterum cum nec Quadragesimæ, nec quartæ & sextæ feriae jejunia divinitus instituta sint, sed ex solius Ecclesiæ traditione deriventur, Ecclesiam etiam particularem, si fontica causa sublit, de his pro arbitrio citra hæreseos &

schismatis notam statuere usque potest: Tum ut libertatem suam in  
iis quæ adiaphora sunt testetur, tum ut ea, quæ divinitus præcepta  
& mandata sunt, adeoque immutabilia & perpetuo servanda, hoc  
ipso distingvat ab iis quæ adiaphora sunt & ea quæ ab ipsa sc. Eccle-  
sia, ad communem ædificationem & pium finem aut ordinem consti-  
tuuntur & ordinantur, Talia enim, cum aliter videtur, mutari  
possunt, & mutari debent, si illa quæ bono fine instituta sint,  
in abusum trahantur, & corruptelg inde in ipsam fidem redundant.  
Documentum ejusmodi libertatis in re itidem ex prima institutione  
bona & utili & ut esset adminiculum devotionis solennioris, instituta,  
sc. in Vigiliis nocturnis publicis abrogandis, exhibuit, cum abusus ejus  
ingravescere videret, ceu notum est ex historia Ecclesiastica. Per-  
movit scil. nostras Ecclesias ad hanc mutationem in circumstantiis  
quibusdam Jejuniorum haec tenus inter Pontificios usitatis, non solum  
publica persuasio Vulgi, sed etiam docentium in Ecclesie, quod di-  
scrimina ciborum sint opera utilia ad promerendam gratiam & satis-  
factoria pro peccatis. Fuit ergo hac abrogatio Legis jejunialis quasi  
publicus elenchus superstitionis & Idololatriæ Romane, inquit Höpfne-  
rus loco th. VI. cit. Leges enim Ecclesia tamdiu servi possunt, dum  
fidei & charitati, quæ regitur conscientia, non officiant, & opinio  
necessitatis absolute non stabilietur. Confer. B. Lutherus Comm. in  
Epist. ad Galatas in Cap. II. v. 14. Tom. I. Lat. Ienensi p. 340.  
Neque est, ut dicatur, abusus fuisse tollendos, retentis ipsis jeju-  
niis exercitiis? Nam vera jejunia Veterum dudum collapsa fuerant,  
& quæ Papatus usurpat, partim ludibria, ut ostendimus, sunt jejuni  
partim superstitionis ac hypocriseos multiplicis instrumenta, que  
propterea ipsam quoque disciplinam Ecclesiasticam valde labefactar-  
runt & exosam reddidit. Sed sic, replicant Pontifici, disceditis  
ab Apostolica traditione: Nam Epiphanius & alii Veterum ex Apo-  
stolica traditione Jejunium Quadragesimale & quartæ & sextæ ferie  
deducunt. Verum aliter statuit Augustinus, qui dicit, se non invenire  
definitum præceptio Demizi & Apostolorum quibus diebus oporteat  
jejunare & quibus non oporteat jejunare Epist. ad Casul. 86. aliter  
Socrates supra citatus cum Sozomeno. Gvilelmus Bevere-  
gius Anglus, solertissimus antiquitatis scrutator, in Vindicat. Codicis  
Canonum Ecclesie lib. 3. contra Dallæum maximo studio evin-  
cere conatur Jejunium quadragesimale ad Apostolorum pertinere.

ata-

atatem, sed nullum aliud antiquius proferre potest testimonium, quam Irenæi, qui apud Eusebium lib. V. c. 28. recensens dissonantiam Ecclesiae circa Jejunium, istam varietatem, non sua demum atate sed πολὺ περὶ τὸν τῶν ἡμῶν, longe ante apud majores suos cœpisse subdit. Non tamen illud præcise ad Apostolos referit, & qui posset dissonantia esse in tempore & in modo jejuniis, si id ipsos Apostolos autores haberet. Intetim ante paschale jejuniū, propinquum fuisse Apostolico tempore, non negamus simpliciter, sed ab Apostolis omnibus Ecclesiis traditum fuisse, ostendi non potest. Imo ne quidem ostendit potest num Jejunium hoc fuerit quadraginta dierum an horarum? Certe pro posteriori evidentiora existare documenta ostendit, Excell. Dn. D. Hartmannus Commetit de Rebus Christi. sub Apost. p. 395. & seqv. Et si maxime ostenderetur dissonantia Jejunii inter nostram & Apostolicam Ecclesiam, illa tamen iudicio Irenæi unitatem fide non tolleret. Scilicet in jejuniis, quæ olim proba & recta erant, temporum successu tot tantique abusus irreperunt, ut pro præsenti rerum statu tollere illa satius fuerit, quam propter talia scrupulos iniustice conscientis & nimia Legum Ecclesiasticarum multitudine Christianos constringere, quemadmodum in ipsa quoque Romana Ecclesia multi Apostoli, ut vocabantur olim, quin Oecumenici ritus hodie cessant. Vid. Chemnitus in Exam. Concil. Trid. ubi fubis ex Historia Ecclesiastica declarat, quomodo magis magisque ab A. C. 440. superstitiones in Jejuniis invaluerint.

X.

Sed & Græci stata habent Jejuniorum tempora. Præter Jejunium enim omnium anni hebdomadum diei quarti & sexti vulgo Mercurii & Veneris dicitur, quorum altero Christus proditus, altero crucifixus, quatuor observant Quadragesimas. Prima & maximè solemnis præcedit Festum Paschatos, *Quadragesima magna & sancta dicta*: Hæc durat dies, qui festum Paschatos proxime præcedunt quadragesima octo s. septem septimanas Pascha antecedentes, quibus qualibet septimana dies quinque usque ad Saturni & Solis diem jejunant, siveque in universum 35. (quia Dies Annunciationis Mariae itidem excipitur) quos dies dicunt decimas ex 365. totius anni diebus. Hanc quadragesimam exemplo Christi & in memoriam ejus passionis, & mortis se observare profitentur. Secunda quadragesima dicitur 40. dierum ante festum Nativitatis in exemplum Mosis tamdiu jejunantis

**F**uants cum tabulas legis acciperet, ut & ipsi digni habeantur ad loquendum cum Angelis & ad adorandum Christum cum Magis. **Tertia** est Divorum Apostolorum Petri & Pauli, incipiens prima post Pentecosten septimana & festo dictorum Apostolorum cessans. **Quarta** exordium sumit primo Augusti duratq; ad decimum quartum ejusdem mensis S. Vigiliam Festi Ascensionis Mariae Deiparae, in honorem ejusdem. Differentia inter hæc jejunia & magnam quadragesimam in eo secundum Græcos est, quod in quadragesima magna usque ad vesperam ab omni cibo abstineant, in vespера autem aridis cibis maximè fructibus & oleribus lassum corpus reficiant; in quadragesima Nativitatis Christi & Apostolorum Petri & Pauli non solum pisces, sed etiam iterata vice de die, in quadragesima Virginis bis quidem de die, at pisces nequam comedere liceat. Sic narrante Christoph. Angelo Græco de Statu & Ritibus Eccles. Græcae Cap. IV. & seqv. ex edit. Georgii Phelavii, Confer. ea qua ex Euchologio P. Jacobi Goar ex Oleareo & Neugebaur his consona adducit laudatus Phelavius in Annot. ad dictum tract. Quanquam vero ex hisce liceat perspicere, longe strictius jejunia Græcos servare quam Latinos, nihilominus nec illorum instituta à nobis probari possunt, imprimis quod attinet posteriores tres quadragesimas, quæ in antiquitate nullum habent fundamentum, & Cultui Apostolorum & B. Mariae Virginis religioso favent; Quare neque illorum posteriorum quicquam meminit Metrophanes Critopulus in Confess. Oricat. Ecclesiæ edita à Ioh. Hornejo Helmstadii A. 1661. cap. 18. de Jejunio. Ξηροφαγία & ὑδροστοιχία qua tantum fruuntur in quadragesima magna videtur in ἀφεδίᾳ ab Apostolo prohibitam Coloss. II. 23, degenerare & valetudini periculum accersere; Notat tales jam suo tempore Augustinus cum lib. de moribus Ecclesiæ cap. 31. ait: *Quosdam in terris desertissimis ab omni hominum consuetu, discretos, pane solo, qui eis per certa temporum intervalla afferaatur & aqua contentis: Sed addit: Videntur illi nonnullis res humanae plus, quam oportenter deseruisse.* Taceo Græcos hodiernos in Opinione de sanctitate, necessitate & merito talis Jejunii eum Pontificis in eodem luto harere, & libertatem Christianam Traditionum ejusmodi ex corrupta primum in Oriente Ecclesia.  
descendentium observatione evertere.

T A N T U M!









Fe 1698

ULB Halle  
003 702 26X


3



f  
Sb.

N.C.





I. N. J.

DISPUTATIONUM EXEGETICARUM  
SUPER  
**MATTHÆUM**  
CAP. X.  
**XLIV.**

*Quam*  
RECTORE MAGNIFICENTISSIMO,  
SERENISSIMO atq; EXCELSISSIMO PRINCIPE AC DOMINO,  
**DOMINO FRIDERICO**  
**WILHELMO,**  
REGNI PRUSSIÆ, ELECTORATUS ET PROVIN-  
CIAR. BRANDENBURG, HÆREDE, &c. &c. &c.  
IN ACADEMIA AD PREGLAM REGIA  
CONSENSU VENERANDÆ FACULTATIS THEOLOGICÆ  
PRÆSIDE

**GODOFREDO WEGNERO,**  
S.S. Theol. D. & Profess. Ordinar. Ecclesiast.  
Aulico Secund.

PATRONO AC PRÆCEPTORE SUO MAXIME COLENDO

Eruditorum censuræ submittit

**JACOBUS Jordahn**  
S.S. Theol. Studios. Liebst. Pruss.

Anno 1706. d. Junii,  
H. Lq; Solitis.

REGIOMONTI, Typis REUSNERIANIS.